WIDENER LIBRARY
HX IGF7 K

ed
10
5

VE RI
TAS

HARVARD COLLEGE LIBRARY
From the Fund
Given in Honor of
George Lyman Kittredge
MDCCCCXIII

Digitized by Google

Ex
Libris Augusti
Fr. Hirsch
J. V. et M. D.
1755

Digitized by Google

1211

Digitized by Google

coll.

Digitized by Google

HERMIPPUS REDIVIVUS,

SIVE

EXERCITATIO PHYSICO-MEDICA CURIOSA

DE

METHODO RARA

AD CXV. ANNOS

PROROGANDÆ SENECTUTIS

PER

ANHELITUM PUELLARUM,

EX

VETERI MONUMENTO ROMANO DEPROMPTA,

NUNC

ARTIS MEDICÆ FUNDAMENTIS

STABILITA,

ET RATIONIBUS ATQUE EXEMPLIS,

NEC NON

SINGULARI CHYMIÆ PHILOSOPHICÆ

PARADOXO

ILLUSTRATA ET CONFIRMATA

AUTORE

JO. HENR. COHAUSEN, M. D.

Senectutis Marcor diſſolvi profecto non poteſt, ſuccurri tamen, ut quamplurimum producatur. Galen. l. d. Marc. c. 5.

Francofurti ad Mœnum,
Apud. JOH. BENJ. ANDREÆ & HENR. HORT.
ANNO 1742.

Digitized by Google

Med 1110.111.5
HARVARD COLLEGE APR 11 1938 LIBRARY
Kittredge fund

In Hermippi grandævi ſenis iconem.

Ingenio puer eſt, juvenis ſed corpore factus,
Fecit anhalando parva puella ſenem.
Ludere cum bellis non eſt puerile puellis:
Abcedant juvenes, res decet illa ſenes.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Ad ſenes Canitie ac prudentia venerandos, aliosque longævitatis Candidatos.

ATtigiſtis non ita pridem tum ſingulari vitalis roboris beneficio, tum diætetici regiminis adjumento eos vitæ annos, ut ſplendentibus in vertice canis ætas veſtra juvenibus poſſit & merito debeat eſſe venerabilis jam vero videmini ad me ſciſcitari, quomodo viridis iſta, veſtra ſenectus firmari, prorogari atque ad longævitatem perduci valeat. Ad quod ut debito reſponſo vobis gratificer, ex cimmeriis antiquitatis tenebris in lucem nunc reduco grandævum ſenem qui ejus methodum propria ſua experientia vos edoceat. Eſt is *L. Clodius Hermippus*, qui æterna dudum caligine ſepultus periiſſet, niſi inſcriptio ejus memoriæ quondam poſita marmorique inſculpta à *Gommaro* Bononienſi Antiquario Romæ forte detecta, & in Syntagmate inſcriptionum antiquarum à *Thoma Reineſio* adnotata, & dein quoque à *Joanne Kayſero* in Parnaſſo Clivenſi repetita ejus nomen ab

æviterna oblivione vindicaſſet. Memorat hæc quendam hujus nominis longævum ſenem ad Annos centum & quindecim & quinque dies vitam extendiſſe, & rara quidem atque ante inaudita methodo per anhelitum puellarum. Quod prima fronte iis, qui machinæ humanæ ignorant ſtructuram ſatis paradoxum videbitur. Quid enim abſurdius, quam à juvenculis petere donum, quod ipſæ non poſſident, longævitatis, & dubium incertumque eſt, an unquam obtenturæ ſint, & quidem, quod ridiculum magis eſt, per anhelitum, quo levius fugaciusque nihil. Unde inſcriptionem fabuloſam potius & jocularem æſtimarunt nonnulli etiam eruditi, non capientes, quomodo ejusmodi ſeneſcendi ratio cum natura & vita humana connexionem habeat, quomodo anhelitus puellarum, cum nec ad cenſum remediorum pertineat, neque in numerum ſex rerum non naturalium, quæ diætam conſtituunt, referri poſſit, hominis vitam ad centum pluresque Annos valeat extendere. Præſertim cum non facile ſit hariolari, qua praxi & quo in vitæ genere ac profeſſione vivifica illa anhelatio longævitatis beneficium *Hermippo* contulerit, de his omnibus in inſcriptione ne verbulo quidem factâ mentione. Conſtat quidem omni fere ævo extitiſſe grandævos, his peculiari corporis robore ac naturæ Privilegio aliis ſingulari vivendi ratione maxime diætetica, alios univerſali quodam quaſi ſoterio, ut Adepti prætendunt, ad extraordinarium vitæ terminum ætatem producentibus, non vero compertum eſt quempiam præter *Hermippum* puel-

Digitized by Google

puellari aſpiramine fragilem vitæ naviculam ad extremæ ſenectutis portum appuliſſe. Quæ an vera ſit hiſtoria, an ingenioſum ſaltem commentum eorum, qui antiquarios poſteros naſo adunco ſuſpendere voluerunt, in medio relinquentes, amicorum non uni hac ſuper vivacitate epicriſin exſpectanti gratificari, & memoratas difficultates enodare voluimus, quibus facili negotio remotis, & rationibus conjecturisque noſtris ad bilancem revocatis non ita abſurdum videbitur per puellarum anhelitum ſenectutem poſſe prorogari.

Ponamus vero longævitatem *Hermippi* eſſe fictam, quid refert? nonne fabulæ conſtruuntur, ut ex illis clarius diluceſcat veritas? *Senectus* quoque *ipſa* (Cicero inquit) *peractio ætatis eſt, tanquam fabulæ.* Ut igitur inſcriptioni majorem adſtruerem hiſtoricæ veritatis ſpeciem, certum *Hermippo* vitæ genus atque conditionem, quæ cum longævitate optime conveniat, aut etiam illi conciliandæ maxime ancilletur, aſſignavi, ſic forte fabulam nova fabella amplians & illuſtrans. Inſcriptio enim tam curioſi ac rari argumenti eſt, veris nitens naturæ & artis fundamentis ut exegeſin mereatur, continens plurima & conſideratione & criſi digna, & ad longævitatem conciliandam non penitus inutilia, unde horis ſubciſivis aliquam ſaltem operam in rei antiquariæ ſtudioſorum gratiam illi ex principiis medicis elucidandæ, ſi non verificandæ impendere non piguit.

Adeſte igitur Viri prudentes, longævitatis Candidati, qui ingenii viribus humano generi vel privatim vel publice prodeſtis, vita ideo diutiſ-

)(3 ſima

ſima digni, accedite, & hanc vetuſti monumenti legite inſcriptionem:

ÆSCULAPIO ET SANITATI
L. CLODIUS. HERMIPPUS
QUI. VIXIT. ANNOS. CXV. DIES V.
PUELLARUM. ANHELITU.
QUOD. ETIAM. POST. MORTEM.
EJUS.
NON. PARUM. MIRANTUR. PHYSICI.
JAM. POSTERI. SIC. VITAM. DUCITE.

Suggerit antiquum hoc monumentum
novum quidem atque rarum,
Experientia tamen comprobatum
Senectutis protelandæ medium.
Quærant alii ex propitiis ſiderum favoribus
Remotiora fata;
Et cum *Ficino* vitam Cœlitus haurire anhelent.
Subſidium me hercule nimis longe petitum!
Quærant, qui volent, cum Medea, ex vaſculis chymicis juventæ recoctionem.
Fabuloſum Commentum!
Quærant ſuccenturiatos arboris vitæ fructus, quibus ſe reddant immortales,
Vani atque deſperati conatus!
Tu quisquis ſub ingraveſcentis ætatis onere metuis aliquando ingemiſcere,
Non anus conſule fatidicas,
Non præſtigiatrices Medicaſtras,
Ubique puellarum præſto eſt venuſtarum copia,
Quarum favor tibi Parcas reddet propitias.
Non opus quærere annos Pylios
Arte Appollinea,
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes,

Reſpi-

Reſpiratio naturæ donum,
cum vita pari paſſu ambulans,
aliena inſpiratione conſervari,
& ſic vita per vitam protelari poteſt.
Confirmat id ſuo exemplo
L. Clodius Hermippus
Qui verius, quam ex aëre chamæleon,
gratioſo puellarum vivens anhelitu
Animulam fugitivam in effœto ergaſtulo detinuit
Annos CXV. Dies V.
Veritas ſit apud ſcriptorem,
apud lectorem fides, pro teſte † vetuſtas,
Sit apud te † honor antiquitati,
ſit fabulis quoque. (*)
Potentiam præſens Exercitatio firmabit,
Praxin vero tentet, qui volet,
Exemplo monſtrante viam
Multis ſic licebit ſpirare, & ſperare,
Pauciſſimis tamen inſpirare longævitatem.
Nempe una hirundo non facit ver.
Nec una obſervatio aut caſus unus experientiam
Hermippus vitai lampada tradidit lucret. l. 2.
in longævitatis ſtadio præcurſor,
ſed vix quiſquam eum aſſequetur.
Vos ſenes interim ſpirate diu,
non equidem puella
Sed Autore vitæ aſpirante,
Eaque conditione ſenectutem protrahite,
ut maximè vivatis illi,
Quo mundus totus inſpirante vivit.
Valete.

(*) Plin. Jun. l. 8. Epiſt. 24.

EXERCITATIONIS PHYSICO-MEDICÆ CURIOSÆ

De Senectute

Per anhelitum puellarum prolonganda

SUMMARIUM

PARS. I.

CApput I. In Senſum Monumenti literalem Exegeſis.

II. De natura anhelitus humani in genere & in ſpecie de puellaris virtute ac potentia ad retardandam ſenectutem.

III. Dilucidatur quomodo anhelitus puellarum ad tam grandævam *Hermippi* ætatem contribuere potuerint.

IV. Brevis Digreſſio, in qua oſtenditur halitûs humani potentia in Syncopticis ad vitam revocandis.

V. Vir-

Digitized by Google

V. Virtus anhelitus puellaris juxta Principia Plotini Platonica explicata.

VI. De *Hermippi* ſtatu & vitæ conditione conjectura rationalis.

VII. De habitu & conditione puellarum *Hermippi.*

VIII. Reſolvuntur geminæ Autori ab amico propoſitæ quæſtiones.

I. Cur non longævior fuerit Salomon, cui tot ex integra puellarum legione ſingulis horis adfuerunt Nympharum exſpirationes?

II. Cum Sultani, licet tot in Gynæceo Imperatorio habeant formoſarum anhelitus, non evadant longævi?

IX. *Hermippi* vita & cum puellis converſatio in hypotypoſi proponitur.

PARS II.

De longævitatis *Hermippi* cauſis.

CAput I. Longævitas *Hermippi* adſtruitur ex puellarium corporum tranſpiratione inſenſibili.

II. Puellarum Hermippearum indoles ulterius deſcribitur.

III. Vitæ per puellarum anhelitum & tranſpirationem inſenſibilem producendæ ratio & potentia à contrario confirmatur.

IV. Maritos ſenes uxorum juvenum contubernio ad longævitatem pervenire poſſe oſtenditur.

V. Fæmina juvencula nutricis & una Medici partes agens marito ſeni ægrotanti ſanitatem & vigorem reſtituit.

VI. *Hermippus* adeptorum particeps Q. Eſſentiæ Philoſophicæ ſeu arcani Hermetici beneficio vitæ CXV. Annos V. Dies facili negotio adipiſci potuit.

VII. Concluſio. An ad exemplum *Hermippi* expediat viro prudenti ejusmodi halituoſam vitam pro obtinenda longævitate ducere?

Accedit Luſus Satyricus in puellarum puerorumque Scholarium anhelitus.

CON-

Digitized by Google

CONGRATULATORII APPLAUSUS.

Ad

Hermippum Redivivum.

Epiſtola.

Clariſſimo Expertiſſimoque Viro
D. Joanni Henrico Cohauſen,
Inter Archiatros Monaſterienſes Seniori,
Suorum amicorum maxime veterano

S. P. D.

Jodocus Hermannus Nünningius
J. V. D. Can. Scholaſt. Vred. Proto-Not. Apoſt.

MIrandum illum in antiquis Sapientibus ad extremam usque ſenectam ſtudiorum amorem & diſcendi docendique cupiditatem æterna memoria dignam judicavit *Marcus Tullius Cicero*, quando in *Catone Maj.* refert *Platonem* uno adhuc & octogeſimo Anno eo tempore, quo mors eum abriperet, ſcriptioni vacâſſe, & *Iſocratem* quarto & nonageſimo Anno librum, qui *Panathenaicus*, inſcribitur compoſuiſſe. Rarum profecto tam vietæ ætatis, quam ingenii robur! Non minus tamen plures in admirationem rapit indefeſſa tua in tam grandi ætate ſtudendi ſcribendique

Digitized by Google

bendique ſedulitas, cujus jam recens exhibet ſpecimen *Hermippus Redivivus*, quem tot jam ante ſecula ad campos elyſios charontis cymba transvectum, nunc in Weſtphalia quaſi ab umbris tuâ operâ revocatum, ceu novum in mundum advenam in lucem prodire mirabitur orbis literatus. Anhelitus puellarum quidem, quod monumento narrat inſcriptio, eum fecêre longævum, ſed tuus Amice calamus nunc reddit immortalem. Argumentum fateor hoc eſt, ſatis ſterile, ideo tamen tua indagine magis dignum, quia non niſi de rebus per neminem alium tractatis hactenus ſcribere conſueviſti, ut Neothea, Pica naſi, Clericus Deperrucatus, Helmontius Ecſtaticus, aliaque ſcripta quibus literatos tibi pridem devinxiſti, teſtatum faciunt. Univerſus nunc ſeneciorum, vietorum, decrepitorum, capularium, depontanorum, ſiliceriorum ſenatus tibi fiet tributarius, gaudebitque maxime, quod tam facilem ac jucundam methodum venerabilem hanc rugoſorum turbam aliquamdiu Parcarum furori ſubducendi tradideris, nec minus univerſus puellarum chorus iſto longævitatis procurandæ ſibi ex tuo elogio à natura collato privilegio gloriabundus, ut ingratitudinis evitet notam, tibi purioris afflatus aſpirabit primitias, quo tibi tuisque orbique literario in dies ſingulos rejuveneſcas. Perveniet quidem *Hermippus tuus* in lucem exiens ad eremum hanc quoque meam, ſed cum hæc puellas neſciat, illas ſecum huc non adducet, adeoque etiam longævitatis ſpem admodum exiguam. Qui præ cæteris ſapit ejusmodi ſenectutem his adminiculis comparandam

non

non admodum in pretio habebit. Quis tanti hanc emat ametque, ut velit eſſe inter puellas puer, modo ſit longævus neceſſe eſt ſeniculum, qui nonniſi juvencularum choro ſpirat, tandem repueraſcere, aut ſaltem in cunis demum, quod laudatus conqueritur Romanorum conſul, vagire. Næ præſtat ſapientem emori, licet haud adeo grandævum, quam ſublato intellectus uſu decrepitum amentem. Neque dicenda eſt felicitas, ſi quis ut *Stobæus* ait in forum progredi auſus riſum videntibus moveat, videat obtuſè, clamantes non audiat, & dum eundo ſe ſuſtinere conatur, concidat de latere in latus titubando tranſiliens. Senectus eò provecta iis gemit obſeſſa incommodis, ut nemo ſani cerebri æſtimet eum verè prudentem, qui per puellarum anhelitus præter naturæ intentionem ad illam ſatagit pervenire. *Vivendi finis eſt optimus* inquit idem Romanus Orator. *Cum integra mente cæteriſque ſenſibus opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentavit natura diſſolvit.* Verum ſatis moralium, cum Exercitationis tuæ argumentum ſit prorſus phyſicum. Laconice igitur tuis circa *L. Clodii Hermippi* monumentum mihi propoſitis quæſtionibus reſpondebo.

Deſideras à me intelligere, quiſnam fuerit ille *Hermippus*, quo ævo, quove Romanorum ſub Principe vixerit, monumento de his altum ſilente? Eſt quidem nomen hoc antiquitati non ignotum, quod tibi nuper ex parva urna Anaglyphis inſculpta, Romæ in Aventino prope ædem *S. Priſcæ* reperta apud *Franciſcum Venturinum* exiſtente ex Inſcriptionibus à *Vignolio* relatis in procuratore hujus nominis ſcenico, qui tempore *Auguſti*

vixit,

vixit, retuliſſe memini, neque plures ejusdem appellationis extitiſſe ambigo, hujus tamen individui, de quo quæris, ſtatum & conditionem neque inſcriptio patefecit, neque ego aut quispiam alius facile detexerit, præſertim ſi hic ipſe, quod mecum plures forte ſentient, inter non entia ſit reponendus. Tu ipſe, qui ejus vitam & longævitatem accuratius diſcutiiſti, ſi nullibi repereris, ingenioſe ſatis ei certam affinxeris, quantum ex Exercitationis ſummario nuper mihi, dum Vredenæ converſabamur, communicato animadvertere licuit.

Interrogas, an apud antiquos Romanos Orphanotrophia extitiſſe à me probari poſſit? Hæc Romæ condita nemo veterum me docet. Alexandrinæ Eccleſiæ *Parabolanos* hoc charitatis Miniſterium præſtitiſſe, eosdemque ab Imperatore *Theodoſio* Juniore ad ſexcentorum numerum alitos perhibet *Aringhus* Rom. Subtern. Tom. 1. l. 1. c.XIV. p.40. n. 9. verum puellarum hic nulla fit mentio.

Cum monumentum *Hermippi Æſculapio* & *Hygiæ* ſacratum ſit, deſideras à me ex antiquorum flaviſſis parallelam inſcriptionem his ipſis Deaſtris ſacram plures ejus commatis dari non eſt quod dubitemus. Unica hic ſaltem mihi occurrit non inelegans, quam ſtylobates artificioſa Quadratarii manu fabrefactus Mediolani ad Trivoltiorum fores ſervat ſuperſtitem. Reddo tibi illam, non qualem *Conſtantius Landus* Complani comes primæ ſuarum in Numismata explicationum editioni Anni MDIX. p. 15. aut quam editioni Lugdunenſi Anni MDCXCV. additis figuris

guris à priori diverſam, in utraque tamen continuis lineis!, ſed qualem *Pighius* Herculi Prodicio Anno MDCIX. coloniæ impreſſo p. 230. in ſingulas lineas diſpoſitam inſeruit ceu utique ex Originali decerptam, certe præ altera magis emendatam.

ÆSCULAPIO ET HYGIÆ
SACRUM.
C. OPPIUS C. L. LEONAS
VI. VIR. ET AUG.
HONORATUS. IN TRIBU
CL. PATRUM ET LIBERUM
CLIENTIUM ET ADCENSUS
PATRONI. SANCTISSIMIS
COMMUNICIPIBUS. SUIS. D. D.
QUORUM. DEDICATIONE.
SINGULIS DECURIONIBUS
*III. AUGUSIALIBUS *II. ET
COLONIS CENAM DEDIT.

L. D. D. D.

Adhæc obſervabis inſcriptionem hanc à *Lando* comite ex ſtylobate, à *Pighio* vero ex ara ſalutis deſcriptam referri. Sacratio hæc facta eſt ob honorificum progreſſum in tribum patrum, ob eumque in cœnæ ſingulis Decurionibus Auguſtalibus & Colonis donatæ memoriam fortaſſis quod Æſculapio & Hygiæa propitiis illa bene ceſſerit.

Permittes mihi nunc V. Cl. ut tibi viciſſim quædam dubia proponam, quorum elucidationem exſpecto. Cur Regum Sapientiſſimus Salomon

Digitized by Google

mon in tot uxorum & concubinarum anhelantium conſortio non evaſerit Neſtor? Cur Turcarum Sultani in Gynæceo Imperatorio ſub muliercularum afflatu commorantes longævitate tamen paſſim deſtituantur? quod rationibus Phyſicis nos docere poteris. Nullus ambigo quin *Hermippus* tuus *Redivivus* & ſtyli acumine & nitore lectoribus curioſis ſingularem jucunditatem & utilitatem ſit daturus, & tu, quod utile dulci miſcere calleas, omne punctum laturus. Verum non differ illuſtre hoc velitationis Hiſtorico-Medicæ Argumentum à te dilucidatum ſine mora prælo cum Eruditis communicare. Auguror namque diverſis adhuc à te elaboratis exaſciatisque ſcriptis non aliud, quam meis aliquando ab obitu noſtro fatum, ab alienorum operum Harpyis expilatoribus, quibus illud Joannis IV. exprobrari poteſt: *Alii laboraverunt, & vos in eorum labores introiſtis.* Quibus tamen accelerato typo præda iſta facile præripitur.

Sed hem! an eo Privilegio duntaxat donabis puellas? Sciſcitari à te lubeat, ſi forte inter *Hermippi* puellas conſediſſet anus lautioribus epulis quotidie bene paſta, & fabarum exoticarum voluptati matutinæ hodie inſervientium nigro decocto ſaturata, nec minus vinum ſpirans crematum eum adhalando foviſſet, an non inde quid ſalutis & annoſæ vitæ eidem acceſſiſſet? me quod attinet, malo ex librorum tum vetuſtorum mihi non ingrato, tum novorum præla adhuc olentium delicioſo odore, & herbæ ſinicæ longævitati, ſi vobis medicis habenda fides, ancillantis, nec non vini purioris Moſellani & Rhenani halitu potuque

modice

modice & medice ſumpto tantum firmiorem Evexiam, ſed & vitæ longioris metam, quam ex afflatu quocunque parthenico exſpectare. Quod nec à te reprobandum auguror, qui ſine ruga Medici hac in patria Cœtus Seniorem agis, hodieque eo fere te inter muſas ingenii robore verſantem demiror, quo ante quadraginta propemodum Annos amicitiam tecum contractam memini. Vale mecumque ſuaviter conſeneſcere perge. Dabam ex curia Winckinghoviana. Idibus Julii MDCCXL.

P. S.

Liceat adjicere verſum, utut quo ad hanc Anni ſtationem ob venam ad ſolis ardores prope exuſtam & exſuccam ſat frigidum.

Ite domum Medici, procul hinc Seplaſia cede,
  Quis morbum metuat, mors cui ſera venit?
Hermippi multis qui geſtit vivere luſtris,
  Quot volet, adſpirans parva puella dabit.
Me Vetulæ ſervent. (Muſæ) quarum ipſe favore
  Continuo, ut ſcribis, ſanus es atque ſenex.
Cuncta puellarum valeant ſpirâcla, ſororum
  Prolongat vitam turba novena ſatis.

 Epi-

Epigramma Votivum In *Hermippum* Redivivum.

Quid venerande Senex Chariſſime Patrue tentas?
An grata eſt halans ore puella tibi?
Quæ præſtet fomenta Seni? Non indiget illa,
Quod tibi adhuc vegeto corpore robur adeſt
Sunt tibi filiolæ tres ſano corpore Nymphæ.
Non eſt effœti corporis uxor anus.
Longius iſtarum potes adſpiramine vitam
Ducere & *Hermippi* luſtra videre ſenex
Nunc abeant Medici: Conſervat anhelitus oris
Virginei gelidos calfacienda ſenes.
Opto hujus tibi dent ſuperi feliciter Annos.
Qui tot luſtra doces vivere poſſe ſenes.

Honoris & amoris ergo plurimum venerando Domino Patruo poſuit.

Ern. Eugen. Salentinus Cohauſen M. D. in Univerſ. Trevirenſi quondam P. P. nunc apud Confluos Phyſicus, & Archiater Provincialis.

Ode.

Inventa nobis qua recitas nova?
Puella dulces num dat anhelitus,
Quêis poſſit effœtæ vigorem
Reddere vivificum ſenectæ?

Her-

Hermippus ultra Secula quindecim
Oblivioni traditus, & ſuæ
Illatus urnæ nunc reviſit|
Ad ſuperas redivivus auras?
Adeſt citatus non necromantico
Ab ore, juſſu ſed Genitor tuo
Cauſam ſuæ longævitatis
Scire avido expoſiturus orbi.
Arcana nos hæç crena docet tua
Suffulta doctis ſat rationibus
Et laſſa nunquam tot per Annos
Nos variis recreare ſcriptis.
Poſtremus aſt non hic Senii tui
Labor manebit, plura volumina
Exaſciata luce digna
Scrinia clauſa tibi reſervant.
Non hæc malignis poſthuma deſeras
Voranda blattis. Gens pelago ſata
Conchyliorum literati
Fac oculos ſubeat theatri.
Sexcenta pæto Sacra Epigrammata
Confecta pridem quid remanent domi?
Deſiderata fumiganti
Illa diu modo ſunt cohorti.
Bene eſt. Parentis non mihi diſplicet
Longævitatis Conſilium datum.
Arridet aſpirans puella
Nunc juveni, ſed & illa tandem
Seni placebit, ſi modo Seculum
Conferre vitæ ſit potis integrum
Optata mox ſit virgo præſto
Innumeris comes apta luſtris

Digitized by Google

Aſt quam decori non modo gratia
Vultus, ſed una Virgineus pudor
Morumque Candor dignam amore
Connubii faciat perenni
Puella canis quid ſilicerniis
Prodeſſe poſſit, non capio. aptior
Hæc eſt juventutis medela,
Cum ſimilis ſimilem requirat.
Devotus opto, dent ſuperi tibi
Nulla ut puellarum indigeas ope,
Longævus *Hermippi* ſed Annos
In viridi videas ſenecta.

In filialis obſervantiæ & amoris conteſtationem cecinit.

Bernardus Engelbertus
Cohauſen M.D.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIONIS PHYSICO-MEDICÆ De Senectute Per Anhelitum Puellarum prorogata

PARS I.

CAPUT I.

In Senſum Monumenti literalem.

EXEGESIS.

HAnc præmittendam judicamus, priusquam rarum hoc Senectutis prorogandæ inventum exactiori ſcrutinio ſubjiciamus. Inſcriptio his verbis incipit:

ÆSCULAPIO ET SANITATI.

Æſculapius Apollinis Medicinæ inventoris ex Nympha *Coronide* Filius in antiqua gentilitate artis medicæ Princeps ac Præſes habitus & inſtar Deaſtri cultus fuit; eo quod *Glaucum Androgeonem Hippotochi* filium, ut & *Hippolithum* Theſei filium, utrumque à furioſis equis laceratum curaſſet, & vitæ reſtituiſſet, ut *Homerus*, *Virgilius*,

Digitized by Google

lius, Ovidius, Seneca, Cicero aliique prodiderunt. Ob quam cauſam *Orpheus* vates Thracius eum ſic alloquitur.

Medice omnium Æſculapi, Domine Pæan
Veni beate Salvator vitæ finem bonum præbens.

Hujus proin honoribus in inſula Cos, Pergamo, Tetrapoli, Epidauro pretioſa templa atque aræ erectæ, adque eas galli gallinacei lauri ſertis coronati oblati, variaque feſtivitatis ſolennia inſtituta ſunt, ut *Plutarchus, Pauſanias, Muſæus* latius memorarunt.

Æſculapius vero appellatus eſt lingua Ægyptiaca ab *Aeſch* capra & *Keleph* Canis, quaſi Geiß-Hundt, tum quia ut refert *Lactantius* l. 2. c. 18. uſu lactis caprini præſcripto plurimos ægrotantes mire ſanâſſe tum Canis adinſtar iis advigilaſſe perhibetur, unde pro Symbolo vigilantiæ & ſingularis diligentiæ. Antiqua Græcia ejusdem ſtatuis & iconibus ſemper canem appoſuit.

Conjugem habuit prudentem Nympham nomine *Hygiæam*, id eſt ut *Alexander Aphrodiſæus* l. 1. Probl. explicat ſanitatem ſeu Divam ſalutis, cujus ſoror fuit *Panacea*. Ideo *Orpheus* in Hymno *Æſculapium* ſic alloquitur.

Stirps Phœbi præclara, Thori cui ſplendida conſors
Eſt Hygiæa, gravis morborum pulſor & hoſtis.

Prætereo Podalirium & Machaonem ejusdem filios, & ulterioris progeniei hiſtoriam, aliaque mira, quæ illi affinxit ſuperſtitioſa gentilitas. Hoc ſaltem memorandum, quod ſub regimine *Gurgitis* &

Junii

Junii Bruti Sceva Romam & univerſum latium infeſtante horribili peſtilentia, intellecto ex conſultis libris Sybillinis Oraculo, ut *Æſculapius* (qui in *Epidauro* ſub figura Draconis colebatur) Romam accerſeretur, miſſi illuc legati illum anguem pro *Æſculapio* ab *Epidauris* cultum, ſponte ad Romanorum navem pergentem (horrenda ſane dæmonis illuſio) ſecum in urbem provexerint, illiusque adventu mox eadem ſedata penitusque extincta fuerit. In cujus memoriam & vice gratitudinis S. P. Q. R. in Inſula Tyberina, hodie *tranſtevere* dicta inſigne templum in eoque ejus idolum erexit, multisque oblationibus honoravit, ut *Plutarchus*, *Valerius Maximus*, *Livius*, *Florus*, *Oroſius*, & ex noſtris *Hieronymus Mercurialis* variarum Lectionum l. 1. c. 15. fuſius retulerunt.

Huic igitur *Æſculapio* urbis Salvatori, ejusque uxori Hygiææ, imaginariis longævitatis ſuæ autoribus *Hermippus* ortu pariter Romanus, beneficii quaſi ab iis accepti memor, Inſcriptionem hanc ceu gratitudinis Mnemoſynon Sacram voluit, ne tam raræ Macrobiæ memoria apud poſteros interciderit.

L. CLODIUS HERMIPPUS.

Hermippum ſe appellat plurimum conſueta apud antiquos nominis derivatione ab equo deſumpta, ſicuti *Leucippus* ab equo albo, *Ariſtippus* ab equo optimo, *Chryſippus* ab equo aureo, *Lyſippus* ab equo ſoluto, *Archippus* ab equo principe, *Exippos* ab equo bono ſeſe appellarunt, ut *Joſippos*, *Merippos*, *Ægiſippos*, *Arſippos*, *Speuſippos*, *Corippos*

pos taceam. Ad quorum exemplum *Hermippus* equus Hermi id eſt Mercurii ſive Hermetis appellari voluit, cujus rationem infra pluribus oſtendam. Quis vero ille fuerit *Lucius Clodius Hermippus* longe difficillimum eſt hariolari. *Scaligerana* cujusdam *Hermippi* apud Diogenem mentionem faciunt. Verbo: les ſeptante. *Stobæus* Serm. V. de Temperantia, Collectanea *Hermippi* de Carminibus *Homeri* peculiari aliqua dote inſignibus allegat. Alius quoque *Hermippus* ſed ſine prænomine ex Joannis Vignobii Inſcriptione p. 285. ſe prodit.

D. M.
HERMIPPO
AUG. LIB. PROC.
SCOENICO VIP.
AMANDA ET VIP.
PRIMITIVA PATR.
B. M. POSUERUNT.

A quo tamen procuratore Scenico noſter multis differt paraſangis & vitæ genere & officio & longævitate. In hac Diis Manibus mortis præſidibus in noſtra Æſculapio & ſanitati Diis vitæ tutelaribus ſacra eſt inſcriptio.

QUI VIXIT.

Hoc eſt vitam bene & laudabiliter tranſegit. *Non eſt enim* inquit Seneca l. d. Brev. Vit. *quod quempiam propter Canos aut rugas putes diu vixiſſe, non enim ille diu vixit, ſed diu fuit.* Qua mente ut in Scholiis addit *Lipſius*, *Similis*, qui ſemper in officiis, & à præfectura denique Prætorii

torii dimiſſus rure ſeptem annos vixit, ſepulcro inſcripſit:

Hic ſitus eſt Similis, qui tot annos fuit
Sed ſeptem vixit.

Unde Varro ait: Non illos optime vivere, qui diutiſſime ſed qui modeſtiſſime; *Menſura* enim *vitæ* verſus græcus habet, *bonum*, *non autem temporis diuturnitas eſt.* Bene igitur vixit *Hermippus* niſi cum Seneca forte ſic vixiſſe eum dixeris, quomodo dicuntur arbores vivere. Sed eum omnibus vitæ humanæ officiis probe functum, ſicque in tot vitæ annos transmiſſum eſſe evincet muneris & ſtatus ratio, quam ei tribuemus.

ANNOS CXV. DIES V.

Poſt mundi cataclismum humanæ vitæ conſtitutus eſt ultimatus terminus annorum CXX. teſte ſacra pagina, quem etſi inter hominum myriades vix unus hodie attingat, conatus tamen eſt *Claudius Deodatus* in *Pantheo* ſuo *Hygiaſtico* tradere methodum hominis vitam ad totidem annos ſalubriter producendi mediante diæta juxta effatum Sapientis Eccleſ. 37. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam. Hermippus* non procul ab hoc termino abfuit, per centum terque quinos annos vitæ fila producens, non tam regimine diætæ, de quo nihil memorat inſcriptio, ſed quod mirandum magis.

PUELLARUM ANHELITU.

De qua vitam prolongandi methodo nemo hactenus Scriptorum, qui longævitatis tradiderunt præcepta, vel verbulo fecit mentionem, ut adeo

Digitized by Google

exactius ſcrutinium mereatur, qua ratione & quibus circumſtantiis illum terminum attigerit. Rariſſimum ſane tentamen eſt puellarum anhelantium ſpiracula invido Parcarum rigori opponere. Sunt igitur qui Inſcriptionem Hermippianam falſam & ſuppoſititiam putent, neque eam credant genuinam, ſiquidem aliis eandem verbis recenſere videatur *Dalechampius* in Not. ad l. 7. c. 48. Plinii Nat. Hiſt.

L. Clodius Hirpanus
Vixit Annos CLV. Dies V.
Puerorum halitu refocillatus
& educatus.

Cui ſimilem adnotavit *Cujacius* ad *Juſtiniani* Novell. 5. hac ſolum differentia, ut Hirpani & Hermippi ætatem parem memoret

L. Clodius Hirpanus
Vixit Annos CXV. Dies V.
Alitus puerorum anhelitu.

Putant in Inſcriptione Hermippiana male ſolis puellis tribui, quod & pueris majore calore, Spiritibusque ſalubribus & nutrientibus præditis adſcribendum fuiſſet, cum in Inſcriptionibus genuinis poſterioribus puerorum halitu non ſolum refocillatus ſed & educatus & alitus Hyrpanus memoretur. Verum hæ tanquam incompletæ potius ſuſpectæ, & ad genuinæ modulum effictæ videntur, de quibus tamen pluribus agendi infra dabitur occaſio. Hic ſaltem noſtræ duo poſteriora membra exegeſi proſequemur.

Quod etiam poſt mortem ejus
Non parum mirantur Phyſici.

Ad-

Admirationem filiam ignorantiæ faciunt Philoſophi; Supponit igitur Inſcriptio poſteros Phyſicos in rerum naturalium cognitione ita fore rudes hebetesque, ut dum raræ hujus longævitatis cauſam intelligere nequeunt, eam non perveſtigaturi ſed ſaltem admiraturi ſint. Si verum eſſet dogma *Epicuri*, omnia in mundo caſu fieri, adeoque nil dignum eſſe admiratione, hæc quoque facile hic ceſſaret, ſi *Hermippo* talem longævitatem caſu contigiſſe crederemus. Verum cum alii pro ſtupido habeant, qui nihil rerum in mundo contingentium admiratur, juxta Doctrinam Ariſtotelis quoque admiratio ſit fons Philoſophiæ, à qua ad rerum indagandas cauſas invitamur, ne eadem quoque nobis dica ſcribatur, nil faceſſet negotii iſte longævitatis gryphus, quin levi brachio eum ſolvamus ut dicere poſſimus cum Horatio.

Nil admirari prope res eſt una Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum.

Patet ex Inſcriptione, non ***Hermippum*** hanc ſibi, ſed ab obitu alium illi poſuiſſe; Nil autem novi eſt, ut antiquariis plerumque nimium credulis vel ludus fiat, vel obtrudatur palpum, non raro adulterinos cudi nummos, ſpurias fabricari idolorum icunculas, falſa in gemmis exſculpi hieroglyphica, veteres fingi inſcriptiones, ut ex illorum venditione vel lucrum capiatur, vel antiquariorum exerceantur & fatigentur ingenia, ut celeberrimo P. *Kirchero*, acutiſſimo hieroglyphicorum Oedipo, aliisque antiquitatum ruminatoribus contigiſſe conſtat. Perſuaſit itaque ſibi in-

ſcriptionis hujus Architectus, vix futurum ex Phyſicis poſteris tam felicis ingenii, qui hujus nodum ſolvere valeat, ſed admirari ſaltem debeat. Monet interim

Jam poſteri ſic vitam ducite.

Profecto non inepte monuiſſet, ſi forte Turcarum Sultanis ſcripſiſſet. Hi enim, quod de *Amurathe* trecentorum & duorum filiorum, & *Selymo* centum liberorum patre, *Achmete* aliisque refertur, dies atque noctes in Gynæceis amant conſidere ſæminarum halitu fruentes. Dixiſſet non inficete, ſi ad Veneris proculos & Cupidinis nepotes, qui Nympharum ſuarum anhelitum pro anima habent, & ſine eo ſe vivere non poſſe putant, tantum directa fuiſſet inſcriptio. Verentur iſti, ſi permittant Charites, puellarum nectareos ructus, imo ſi ita *Lubentia* jubeat, una ſæpe mixtas ſtomachi nauſeantis querelas, & uteri excentrici ſingultus excipiant, ex aridis labellis quaſi libantes blandientis vernantem juventutis auram. Ponemus illos in eodem prædicamento cum *Lucio Vitellio* Imperatoris *Vitellii* patre, qui viliſſimæ libertinæ amore ita ſtolide exarſit, ut ejus ſalivam melli permixtam ſervaret, eaque veluti opportuno vitæ reſtaurandæ balſamo arterias & guttur crebro & publice abjecto omni pudore perfunderet homo ſtolidiſſimus.

Abſit Univerſum Seniorum Senatum ad perpetuum inter puellas conſeſſum invitare, qua fugaces illarum anhelitus tremulo ore fere moribundi excipiant, & brevis vitæ moras faciant,

aut

aut præmaturæ ſaltem ſenectutis tædia avertant. Inſpiramus communem aërem, ut vivamus, ſed etiam inſpirandos puellarum anhelitus, ut diutius, nemo ſine dementia ſuaſerit. Jam vacillantem exſpirantis vitæ flammulam puellari fovere anhelitu eſt luctari cum libitina ignem vitalem jam exſufflatura.

Vetant nam talia Parcæ,
Nec minus auſteri probibet lex invida fati.

Conſedi ego jam à ſexaginta & quod excedit annis, inter novem ſorores virgines, earumque gaviſus ſum aſpiramine non infeliciter, quibus quam poſſideo, ſenectam debeo ab iisdem ſalubris diætæ præceptis informatus; Intelligo Parnaſſi puellas utut admodum vetulas, quæ ſenectutem alunt, adoleſcentiam oblectant, ſecundas res ornant, in adverſis ſolatium præbent, domi delectant, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum ô quam ſuave harum eſt contubernium! *quid* enim exclamat *Tullius* de Senect. 28. *eſt jucundius ſenectute ſtipata ſtudiis juventutis?* Sed quod commorari velim jam ſenex inter puellas utut Charites lepidiſſimas, utut merum vitæ nectar ſpirantes, & quam neſcio adhalantes ambroſiam, illarumque hiante ore excipere halitus non vitæ amor mortisue metus perſuaſerit. Unde quæ à me halitus, ut & ex- & tranſpirationis puellaris videri poſſent hic ſpecioſius prolata encomia, nemo pro ſerio conſilio medico, ſed ingenii ſaltem ſenilis exercitatione fortaſſis ultimata velim accipiat, ut in hujus gryphi ſoluti typo pateat, non eſſe quid adeo abſonum, aut in

Digitized by Google

antiquitate fictum, quod apta explicatione credulos ſub ſpecie veritatis non poſſit ludere, imo ſub ſpe longævitatis ad imitationem allicere.

CAPUT II.

De natura anhelitus humani in genere, & in ſpecie de puellaris virtute ac potentia ad retardandam ſenectutem.

QUamprimum infans ex tenebroſo uteri materni ergaſtulo egrediens mundanæ luci exponitur, thorace mox dilatato aër gravitate in pulmones hactenus compreſſos irruens elaſticitate ſua eorundem veſiculas expandit, ſicque prima fit inſpiratio. Hi vero dum naturali ſibi congenita ſyſtole ſive conſtrictionis vi ſe contrahunt, aër illapſus rurſus exprimitur, & prima fit exſpiratio; qui motus reciprocus deinceps ſtante vita nunquam ceſſare poteſt, ſed cum eadem pari paſſu ambulans ad extremum usque halitum perdurat: Ab eo namque cordis & arteriarum reliquorumque ſolidorum, & conſequenter fluidorum motus atque circulus dependent.

Ex duplici hoc vitali pulmonum motu componitur anhelitus, ſive in- & exhalatio, quæ quidem ſic à puellis peracta quomodo ad retardandam ſenectutem faciat, & in ſenili corpore, quod ſuo quoque peculiari gaudet anhelitu, tam mirabilem effectum producat, non facile in Oeconomiæ animalis Phyſiologia hoſpes intelliget, niſi penitus & in recto & obliquo, ut loquuntur Philoſophi, actus hi vitales conſiderentur.

De-

Digitized by Google

Deſcribo itaque anhelitum humanum ſtylo medico: Quod ſit aëris ætheriſque per inſpirationem intra pulmones recepti, in iis vero vaporoſo corporis halitu ſeu lympha ſubtiliſſima veſtiti, particuliſque ſanguinis vitalibus, aut etiam balſamicis & ſulphureis imbuti per exſpirationem ex ore & naribus emiſſio. Sub quo conceptu halitus humanus præter ipſum reſpirationis actum dicit materiale quid, nempe auram ex aëre & æthere retrogrado, ſanguinis ſuccorumque corporis humani & hic in ſpecie puellaris effluviis compoſitam. De qua elegantiſſime more ſuo *Marſilius Ficinus* l. 3. de vit. cœl. comp. c. 21. diſcurrit. *quod ſit aër hic quidem calens ſive tepens, ſpirans adhuc & quodammodo vivens, ſuis quidem articulis artubusque compoſitus ſicut animal, nec ſolum motum ferens affectumque præferens, verum etiam afferens quaſi mentem, ut animal quoddam aërium & rationale quodammodo dici poſſit.* Conceptus Philoſopho Platonico dignus & plenus myſteriis, infra latius explicandus!

Aura hæc vel aër ſic mixtus & in pulmonibus per vapores è ſanguine exhalantes alteratus neceſſario redolet aut ſecum defert proprietates corporis, per quod tranſiit. Cum natura aëris ſit ſorbere rerum effluvia & ſecum deferre. Comperimus namque, etſi aër penitus ſiccus ab homine inhaletur, eundem tamen halitibus humidis mixtum rurſus efflari. Ut ſpeculum & brumale frigus indicant. Experientia quoque comprobat ex corpore morbido ſcorbuto. Phthiſi aut malignitate infecto refluum aërem, ſi in aliud corpus

diſpoſi-

diſpoſitum incidat, aut inſpiratione ſuſcipiatur, facile eundem affectum producere.

Unde è contrario diluceſcit, ſi è corpore ſano, vivido ſale volatili turgido remittatur, ipſamque, quod apud recentiores pleroſque Anatomicos expertiſſimos hodie certum eſt, maſſam ſanguineam ab alio rurſum inſpiratus ingrediatur, vel virtutem balſamico-vitalem juxta doctrinam Philoſophorum, vel juxta principia mechanica ſaltem vim elaſticam potentiorem, adeoque motum vivaciorem alterius corporis ſanguinis ſolidiſque communicare. Si vera foret *Franciſci Mercurii Helmontii* ſententia Alphabet Nat. Colloq. 4. de occulta anhelitus circulatione in abdomine ceu centro corporis, omnibuſque membris, ne capillis quidem exceptis, quis dubitet eundem de corporis univerſi proprietate participare?

Nunc vero cum puellæ juvenculæ non tantum vivido ac vitali ſanguine animentur, & copia ſpirituum turgeant, ſed & quod nonnulli prætendunt, adhuc initiis ſuis ſeminalibus proximiores plurimum balſami radicalis, quod tamen ſingulis annorum periodis magis imminuatur, obtineant patet effluvia ex illarum corpore emanantia ejusdem plane eſſe conditionis, nempe balſamica, agilia, maxime activa & elaſtica, quæ à ſene rurſum inſpirata valeant ejus torpidum ac lentum excitare ſanguinem, novum illi indere elaſticitatis vigorem, & circulandi promptitudinem, in qua formaliter vitæ ratio conſiſtit, promovere, augere & conſervare, qua in ſtatu integritatis perſiſtente nec ſtagnationes ſuccorum, nec ex his oriundi morbi nec hos conſectaria mors

præ-

præmatura metuenda veniunt. Unde non eſt quod poſteri Phyſici adeo mirari debeant *Hermippi* longævitatem, cum procul dubio cætera quoque in eodem conſpiraverint & viſcera principalia (quod pariter fuit neceſſarium) ceu motuum vitalium, ex-& ſecretionum fontes ſe recte habuiſſe, neque morbis hæreditariis ſolida potiſſimum afficientibus eum laboraſſe admodum quoque probabile ſit.

CAPUT III.

Dilucidatur ulterius, quomodo puellarum anhelitus ad tam grandævam *Hermippi* ætatem contribuere potuerint.

INtimior naturæ Secretarius & Hiſtoricorum facile Princeps *Plinius* Nat. Hiſt. l. 7. c. 2. ſcribit in extremis Indiæ finibus dari Aſtomorum, id eſt, ore carentium gentem, ſine cibo & potu, ſolo halitu, & odoribus variarum radicum & florum, malorumque ſylveſtrium ſubtilibus exhalationibus per nares attractis viventem. *Hermolaus Barbarus* ſcriptum reliquit quendam Romæ annos 40. ſola aëris inſpiratione vixiſſe. *Olympiodorus* Platonicus teſtatur quendam toto vitæ ſuæ decurſu abſque comeſtione in ſole ſemper verſatum, ex eo & aëre ſpirituale nutrimentum hauſiſſe inſtar ſtruthionis, qui ſolo aëre vivere, nutriri, & in tantam corporis molem excreſcere perhibetur, ut referente *Langio* ſexcentarum librarum pondus nonnunquam excedat.

Nemo

Nemo putet hoc modo & ex ſolo puellarum anhelitu vixiſſe *Hermippum*, quod magnum naturæ fuiſſet prodigium, ad cujus imitationem poſteros inſcriptio ſtolide exhortata fuiſſet. Eſt quidem juxta poſtulata Hermeticorum in aëre occultus vitæ cibus, nemo tamen dixerit illo ſolo hominem nutriri & ſervari poſſe. Alio igitur agendi modo, quem infra latius exponam, puellarum anhelitus ſalutarem prorogandæ ſenectutis effectum produxit. Unde ridicula eſt viri cujusdam clariſſimi ſententia in literis ad amicum datis ſcribentis: *Si ſubſtantia alimenti tranſeat in ſubſtantiam aliti, ſe credere totum illum Hermippum plusquam centenarium in anhelitus & vapores puellarum evanuiſſe.* Verum ſciendum, nec iſtas puellarum evaporationes, nec ullas alias exſpirationum etiam utiliſſimarum anathymiaſes ſubire vices alimenti, aut cedere ſenili corpori in ſubſtantiam, ſed eſſe duntaxat ſpirituum languentium ſuſcitabula, & ſanguinis torpidioris ad expeditiorem curſum ſtimulos & calcaria. *Democritus* famoſus ille per riſum Philoſophus, cum anno ætatis CIX. morti approximaret, ejusque ſoror maxime contriſtaretur, quod obitu ejus ſuper veniente impedienda foret, ne Sacris Cereris proxime celebrandis intereſſet, eam ſolatus eſt, ſe non remoraturum, quin feſto appropinquante pietati vacaret. Juſſit igitur ſibi porrigi panes calidos, quorum naribus admotorum odore per triduum ad feſti usque conſummationem fugientes vitæ Spiritus ſuſtentavit, hocque exacto placide obiit, ut memorat *Laertius* l. 6. p. 413. & 416.

de

Digitized by Google

de quo varii circumferuntur verſus, & inter alios, qui ſequuntur:

Ecquis opus Sapiens unquam tam grande peregit,
Fecit quale ſciens omnia Democritus.
Qui per tres tenuit præſentia funera ſoles,
Ex calidis panum Soſpes anhelitibus.

Quamvis alii perhibeant id mellis odore feciſſe. *Ficinus* ſcribit eum mel vino albo liquefactum calentibus panibus infudiſſe. *Conciliator Apponenſis* Senibus moribundis vitam olfactu mixturæ ex croco & caſtorio contuſis vinoque commixtis ſe produxiſſe teſtatur. *Homerus* quoque fragrantium malorum odore aliquamdiu ſuſtentatus dicitur.

Quantum grati plantarum & florum odores Spiritus recreent, nemo neſcit. Non ignorabat id Sacra Sponſa metuens animi deliquium in Canticis Cantic. c. 2. 5. ad filias Sion exclamans: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* *Ficinus* igitur l. de ſanit. tuenda l. 2. c. 18. fuſius probat odore & halitibus ſervari & confortari Spiritus vitales, adeoque hoc nutrimentum ſive fomentum apprime ſenibus neceſſarium eſſe. Præcipuum ejus Argumentum hoc eſt, quod odor ut & Spiritus ſit vapor quidam, ſimile autem ſimili nutriatur. Opinatur quoque niſi vel ipſa alimenta digeſtione in vapores extenuentur, Spiritum ipſum, qui & vapor eſt, nullum ex iis ſuſcipere nutrimentum; Vaporem autem niſi odore placeat, qui & vapor quidam eſt, nullum ſpiritui exhibere alimentum. *Qualem,* inquit, *ſpiramus aërem quales haurimus odores,*

Digitized by Google

talis & Spiritus in nobis evadit, quia aër afficit Spiritum, ut eſt affectus, non ſimplici namque ſed permixto fruimur.

Ex quibus omnibus hanc ejus concluſionem meam quoque facio, quam l. 2. c. 15. his verbis elegantiſſime exprimit: *Si vapores exhalantes ex vita duntaxat vegetali magnopere vitæ noſtræ proſunt, quantum profuturos exiſtimatis aërios quidem ſpiritui prorſus aërio, harmonicos harmonico, calentes adhuc vivosque vivo, ſenſu præditos ſenſuali, ratione conceptos rationali?* voluit dicere: Si talis ab inanimatis vegetabilium exhalationibus exſpectanda ſit ſenibus refocillatio, quanta ex materia anhelitus corporis viventis, quæ ſi exquiſite ſana ſit, ut in juvenculis, præ omnibus florum, & quorumcunque odoriferorum halitibus cenſenda eſt corpori ſenili ſalubrior efficaciorque: Effluvia enim puellarum illi magis ſunt proportionata, utpote vitalitatis, qui inanimatis odoriferis deeſt, characterem habentia, adeoque motus vivacitatem & vigorem in ſene reſtaurantia.

Sed dices forſan, illa odorum refocillamenta fruſtra allegari, non enim tam excellentem in puellarum anhelitu odorem deprehendi: Si illarum foret fragrantia, qualem de Sponſa ſua in Cant. Cant. c. 4. 13. deprædicat *Salomon. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardos & crocus, fiſtula & cinnamomum cum univerſis lignis Libani, Myrrha & Aloe cum omnibus primis unguentis*, facilius credi poſſe, in illarum anhelitu reperiri vitæ ſuſtentandæ balſamum, ſed non dari

fæmellas

ſæmellas quarum halitus odorem balſami & exſpirationes ſuavem aromatum fragrantiam redoleant, quod de *Iſide* & *Alexandro* M. refertur apud *Plutarchum* in Alex. M. l. 1. Qu. 6. cujus quoque cadaver tam ſuaviter fingunt ſpirâſſe, ut ſpeciebus aromaticis repletum judicaretur.

Reſpondeo, etſi puellæ ſanæ non ſpargant iſtum panegyrico-metaphoricum Sponſæ Salomonicæ odorem (nam juxta illud Comicum *Plauti* in Muſtellar. mulier bene, & nunquam melius olet, quam ubi nihil) emittere tamen aporrhœas longe utiliores, ſenum Spiritibus analogas ſeu potius Syngenias, ita ut non tantum propriis, ſed & alienis Spiritibus vivere dici poſſit ſilicernium, quod puellarum anhelitu ſuſtentatur, ut juxta Platonicorum placita ſequenti capite clarius oſtendam. Manet interim in anhelitu puellæ vis ſuo modo egregie refocillans, quod quidam Syncopem paſſus, & per inſpirationem Virginis amatæ ex Spirituum eclipſi revocatus hiſce verſibus teſtari voluit:

Omnis in arenti conſumptus Spiritus ore
  Flamine non poterat cor recreare novo,
Jam ſtyx ante oculos & regna carentia ſole,
  Luridaque annoſi Cymba Charontis erat.
Cum tu ſuaviolum educens pulmonis ab imo
  Afflaſti ſiccis irriguum labiis:
Suaviolum ſtygia quod me de valle reduxit,
  Et juſſit vacua currere nave ſenem:
Pars animæ, mea vita, tuæ hoc in corpore vivit,
  Et dilapſuros ſuſtinet articulos.
Ac niſi dilecta per te foveatur ab aura,
  Jam collabentes deſerit articulos.

B Ergo

Ergo age labra tuis inſpira languida flabris,
Aſſiduoque duos Spiritus unus alat.

Imo non nemo alius ex puellæ ſuæ anhelitu immortalitatem ſe conſecuturum ſperavit. Audiamus ut cantillet:

Quæ Spiramina dat puella? Nectar
Dat, rores animæ ſuaveolentes.
Dat Nardumque thymumque, Cinnamumque,
Et mel, quale jugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropiis apes roſetis:
Quæ ſi multa mihi voranda dentur,
Immortalis in iis repente fiam.

Poſſunt quidem hi videri Enthuſiaſmi Erotico-Poëtici, pro mera tamen fabula habendam non eſſe halitûs humani in revocandis lipothymicis efficaciam ſequenti digreſſione oſtendam.

CAPUT IV.

Brevis Digreſſio, in qua oſtenditur halitus humani potentia in Syncopticis ad vitam revocandis.

HOrrenda viſu eſt illa Spirituum vitanimalium Eclyſis, qua homo ex improviſo omni ſenſu ac motu privatus cadaveroſa facie mortui ſubit ſpeciem, & reapſe cedit in prædam libitinæ, niſi in arena præſto ſit conſilium & præſentanei auxilii medicina, quæ veluti ab orco fugientes revocet vitæ Spiritus. Teſtatum autem faciunt Medicorum Ephemerides, non promptius iſtis in caſibus dari ſubſidium halitus humani inſufflatione,

per

Digitized by Google

per quam ſyncope correptus ad vitam veluti revocatur, quod pluribus exemplis confirmat *Valeſius* in Philoſophia Sacra. Nos unum ſaltem alterumve ex ſcriptoribus fide dignis in medium adducemus.

P. *Borellus* rariſſimarum obſervationum compilator Cent. 3. obſ. 58. mirandam refert hiſtoriam famuli cujusdam, qui cum è rure rediens Dominum ſuum mortuum, jamque ſepulturæ inferendum inveniſſet, eum diutiſſime exoſculando, ſuosque halitus ori inſpirando eum paulatim in vitam revocavit inſtar Prophetarum, qui olim in mortuos reſupinos proni incumbentes inſpirando animam reddebant, ad exemplum ſummi Creatoris corpori Adami animam inſufflantis. Rationem conatur reddere *Tackius* in Myſter. Reſurr. rerum p. 35. aſſerens in viro illo ellychnium vitæ penitus extinctum non fuiſſe, ſed aptitudinem adhuc habuiſſe ad vitalem flammulam recipiendam, non aliter ac candela extincta ellychnio adhuc fumante in flammam afflatu reſuſcitari poteſt, vel ſicuti fumus candelam adhuc flammantem tangens magnetica quadam affinitate flammam trahit, ut reaccendatur & ardeat. Statuit ergo inſufflatione tum propriæ animæ vitalis, tum auræ univerſalis in condo aëris contentæ vitam ſilentem Heri à ſervo revocatam eſſe.

Cui *Borelli* hiſtoriæ majorem fidem conciliat id, quod *Georg. Grubelius* Electoralis Saxonicus quondam Archiater in M. G. C. Decur. 2. Ann. 10. Obſ. 44. recenſet, ſuisque oculis non ſine admiratione ſpectaſſe ſcribit. Fæmina primipara feliciter prolem enixa cum nil periculi jam ſuper-

eſſe putaret, tanta ex improviſo corripitur lipothymia, ut jam exceſſiſſe è vita videretur; jacebat enim ceu mortua ultra horæ quadrantem, facie pallida pulſu vix obſervabili, nil ſentiens, nil audiens. In his anguſtiis medico ad remedia propinanda properante accurrit ancilla in ſervitiis fideliſſima, imponit ſe puerperæ halitum ſuum ori ejus inſufflans, quo mox in vitam revocatur. Fæmina de ſomno quaſi profundo excitata quærit, quid ſecum fuerit actum, nullius rei memor, Senſus namque omnes momento fuiſſe extinctos retulit. Ancilla de novo hoc remedii genere atque inaudito conatu feliciſſimo per medicum rogata, ubi hoc didicerit vel audiverit, reſpondet ſe Altenburgi ſimile exemplum vidiſſe, cujus ſe reminiſcentem, an ſemper id reſpondeat voto, voluiſſe experiri. Addit ſe vidiſſe plures infantes recenter natos jam pro mortuis habitos inſufflato per obſtetrices halitu mox revixiſſe. Unde concludit *Grubelius* latere aliquid in halitu humano ſingulare nobis adhuc incognitum, quod nemo facile poſſit ire inficias.

Elegans quidem, eſt *Tackii* ſimilitudo, ſed cum non detur in humano corpore Biolychnium oris afflatu reaccendendum, ſed omnis in illo motus per mechaniſmum perficiatur, ipſum quoque ſi quid in halitu humano forte lateret, ſingulare ad lipothymicorum tam feſtinam exſuſcitationem nihil faceret, veriorem iſtius phœnomeni dabimus rationem. In gravioribus lipothymiis & ſuffocationibus hyſtericis ob Spirituum eclipſin ſeu interceptionem immoti jacent pulmones, adeoque ceſſante horum dilatatione ſanguis è dextro cordis ventri-

ventriculo per arteriam pulmonalem in eos nequit admitti, conſequenter intermittente ſic univerſi ſanguinis circulatione actiones vitales in momento ſufflaminantur. Quando autem halitus humanus vi quadam pulmonibus caducis impellitur, hi rurſus expanduntur, ſicque via ſanguini è corde affluenti recluditur, cujus curſu reſtituto & reliquus ſanguinis periodus, & cum eo actiones vitales, pulſus, ſenſus, reſpiratio, & motus redintegrantur. Quod experimenta varia in animalibus jam fere emortuis, aëre in pulmones immiſſo aliquamdiu reviviſcentibus confirmant. Quod non adeo mirum ſicuti illud quod nonnulli ſcribunt, gallinis ano ægrotantis admotis ibique detentis, donec ſuffocentur, & quaſi in ægri corpus exſpirent, hunc etiam conclamatum ad vitam ſæpiſſime revocari. Quod merito fabellis accenſendum, cum inter humanos gallinaceosque Spiritus nulla ſit convenientia, neque iſta via mechanice quid poſſint agere. Narrant hirundines circa hyemem è noſtris plagis aufugas durante bruma in caveis ad maris littora hærere roſtris podici mutuo inſertis ad ſic communicandos invicem vitæ Spiritus, ut valeant ſine alimento ſubſiſtere. Id quidem tantiſper tranſeat. Sed ægrotantem conclamatum vel centum gallinarum in ejus inferius guttur demiſſo extremo halitu inter vivos ſervari poſſe, credat qui volet.

Interim halitui humano non penitus detrahimus illud *Grubelii* ſingulare abſconditum; non enim ignoramus in illo latitare vim medicam, ut *Helvetius* quoque in *Diribitorio medico* p. m. 117. oſtendit; Non approbamus tamen illam in

India medicorum ſectam, quæ morbos omnes curat ſola inſufflatione, neque methodum ſanandi vulnera per ora adhalantia, quam artem S. *Elmi*, & qui illa utuntur *Salutatores* Hiſpani appellant, quos *Bravo de Sobremonte Romirez* ceu pacto Dæmonis plerumque implicitos è foro medico relegat, niſi conſtet gratiam ſanitatum gratis datam juxta Apoſtolum ad *Corinth.* 1. poſſidere, quam ſibi vendicant illi, quos Belgæ vocant filios paraſceves, quia nati ſunt eo die, quo dono ſanandi in variis morbis ſe præditos gloriantur, quos tamen *Deuſingius* de ſuperſtitioſa morborum origine & curatione §. 60. ſolide refutat. Verum videamus in viam & ad beneficos puellarum anhelitus.

CAPUT. V.

Virtus anhelitus puellaris juxta principia Plotini Platonica explicata.

NEmo in Doctrina *Platonis* exactius verſatus fuit quam *Marſilius Ficinus* Presbyter Florentinus non ſemel à nobis jam allegatus, cujus proin prementes veſtigia modum operandi anhelitus puellaris in exemplo *Thysbis* adoleſcentulæ & noſtri *Hermippi* oſtendemus.

Cum reſpirat *Thysbe* (idem de pluribus unà adhalantibus juvenculis intelige) cum anhelitu ſimul transmittit Spiritum, qui vapor eſt, in ſanguine generatum. Hic per inſpirationem *Hermippi* ſenis ſanguini copulatur. Spiritui namque facile jungitur Spiritus. Vapor itaque in corde

Thys-

Thyſbis genitus cum vehiculo aëris & ætheris inſpiratus continuo petit præcordia *Hermippi*, & in ejus defertur ſanguinem, ut dici poſſit *Thyſbis* puellæ Spiritum habitare in corde *Hermippi*. Hic igitur cum vitalis ſit, vegetus, vividus, alacer, juvenilis, nil mirum ſenilem *Hermippi* cruorem eo vegetari, vivificari, animari, & quaſi rejuveneſcere, ſicque *Hermippum* non tantum ſua, ſed & aliena, ſicque quaſi duplici vita vivere, adeoque vitæ duplicatæ annos attingere. Et hæc juxta Doctrinam *Plotini*.

Ad cujus dilucidationem audiamus, quomodo ex reciproca hac Spirituum transmigratione laudatus *Ficinus* ingenioſe deducat amorem e. gr. inter *Lyſiam* & *Phædrum*. Verba ejus ad ſtuporem elegantia hic merentur apponi. Vapor hujusmodi *Phædri* corde genitus *Lyſiæ* ſtatim petit præcordia, quorum hebetudine fit compactior, & in hujus relabitur ſanguinem, ita ut *Phædri* ſanguis, quod mirum eſt, jam in corde ſit *Lyſiæ*. Hinc ad clamorem confeſtim prorumpit uterque. *Lyſias* ad *Phædrum:* Cor meum Phædre Chariſſima viſcera! *Phædrus* ad *Lyſiam*; ô Spiritus meus! ô meus ſanguis Lyſia. Sequitur *Phædrus Lyſiam*, quia cor ſuum poſcit amorem: Sectatur *Phædrum Lyſia*, quia ſanguineus humor vas proprium poſtulat, ſuam exigit ſedem. Ita *Ficinus*, qui quod ego de Spiritibus cum anhelitu transfuſis dixi, etiam de illis per oculorum ſaltem radios immiſſis conſequenter ratiocinatur.

Dices, ſi tali Spirituum communicatione generetur amor, quare transfuſus in *Hermippum* puellaris Spiritus non produxerit ſtolidum ac fatalem

talem amorem, qui illi potius præmatura mors, & ante tempus tumulus, quam longævitatis arrha fuiſſet, quod ſane quis metuens non ſuaſerit poſteris vitam tam vaporoſam ducere, ne dulces illi anhelitus in triſtes ſingultus amareſcant.

Reſpondeo *Hermippum* in contubernio puellarum vixiſſe, quæ nondum puellas pupaſque ſuas veneri dicârant, quæ parvulæ erant, & ut regia ſapientis ſoror, ubera non habebant, cum quibus plane innocens erat converſatio & caſta vitæ voluptas. Cum his converſari, ludere, jocari non ſuſcitabat libidinem, non depopulabatur vigorem, non turbabat ſomnum, non affligebat mentem pathematibus querimoniæ, ſolicitudinis, ſuſpicionis, quæ amoris in ſene plerumque effectus ſunt. Non opinetur quis *Hermippum* fuiſſe principem, qui Soldani inſtar in gynæceo inter formoſas ætatis provectioris Nymphas conſidens earum anhelitu viridem ſenectutem ad tot annos provexerit. Aliqua enim in monumento illius facta fuiſſet mentio, & ſtolide à poſteris in tali dignitate exacta imitatio.

Audio hic quendam mihi objicere: Eſto ex puellarum parvularum ſufflamine arſiſſe tam diu in *Hermippo* vitæ igniculum; non poterant tamen niſi paucis annis hoc numere fungi puſillæ veſtales. Cum enim intra paucos annos deſinerent eſſe adoleſcentulæ, neceſſe erat ſurrogare alias in hoc adhalandi officium, ſaltem ab anno vitæ *Hermippi* ſexageſimo (ita ſupponamus) ad annum usque centeſimum decimum quintum ad minimum decies, ſingulis ſaltem luſtris mutandus fuit puellarum ordo, unde facile conſequitur fuiſſe

magna-

magnatem, qui alere potuerit tot puellarum greges. Ex quo quis poſſet hariolari, ſub hac inſcriptione relictam curioſis antiquariis fabulam, quam cum Phyſicis ignorantibus mirentur.

Verum amici quæſo non ita præcipitanter. Liberabo ego nunc vos ignavo ſtupore, & oſtendam *Hermippum* fuiſſe virum, tali vitæ ſtatione ac munere gaudentem, in quo absque propriis expenſis ſemper illi præſto fuerunt ejusmodi vivificæ Nymphulæ, quarum anhelitu gratis frui, ejusque beneficio longævitatem conſequi potuit, quæ quidem ratione annorum non adeo rara aut admiratione digna eſt, nam innumeri iſtam ætatem exceſſerunt, ſed ratione modi ſatis paradoxi atque obſcuri, quem nunc dilucidabimus.

CAPUT VI.

De *Hermippi* ſtatu & vitæ conditione conjectura rationalis.

EXperientia docet ipſum vitæ ſtatum, ſeu conditionem & profeſſionem, in qua quis verſatur, non rarò plurimum conſerre ad breviorem longioremve lucis uſuram ut Cl. *Ramazzinus* Diſſertatione de morbis Artificum prolixe oſtendit; licet de profeſſione, in qua nunc *Hermippum* conſtituam, nec ipſe nec Inſcriptio mentionem fecerit. Conjicio itaque eum in Orphanotrophio Romano puellari ſeu *Gymnaſio* quodam *Virgineo*, qualis meminit *Propertius* l. 3. Eleg. 15. officio Præſidis ſeu præfecti & Inſtitutoris functum, magnam ætatis ſuæ partem in contubernio & ſub

 anhe-

anhelitu puellarum traduxiſſe, quamvis nec ipſos pueros ab ejus quotidiana converſatione & exercitatione penitus excluſos velim, cum conſtet Præceptores & Ludimagiſtros omni ævo longævitatis quodam quaſi privilegio gaviſos eſſe, cujus quasdam obſervationes & rationes huc adducere à propoſito non erit alienum. Unde *Dalechampius* & *Cujacius*, dum puellarum ope ſeneſcendi methodum longe obſcuram non comprehenderent in ſupra adductis ſuis inſcriptionibus pro illis pueros ſubſtituerunt, ſicque ipſum monumentum in ſuſpicionem falſi adduxerunt.

Memorabile itaque eſt, quod *Georgius Leontinus* Rhetor & prudentiæ ſuæ oſtentator, qui adoleſcentes mercede accepta inſtituit, centum & octo annis, *Protagaras Abderites* pariter Rhetor rerum civilium doctrinam & inſtructionem profeſſus nonaginta annos vixerint; *Iſocrates* Athenienſis à luce forenſi remotus domi tantum ſcholam aperiens nonageſimum octavum annum compleverit; *Euphranor* Grammaticus ultra annum centeſimum literas docuerit, *Orbilius*, qui tempore *Ciceronis* vixit, Grammaticus Ludimagiſter, ob linguæ & calami acerbitatem & adverſus diſcipulos plagoſum rigorem famoſus ad annum fere centeſimum vitam extenderit, ut taceam alios ſapientiæ Profeſſores *Zenonem*, *Theophraſtum Ereſium*, *Carneadem Cyreneum*, qui omnes octageſimum annum excellerunt, & ex perpetua & longa puerorum & adoleſcentum conſuetudine longævitatem conſecuti ſunt. Non igitur puto me multum aberrare ſuſpiciando imo ſtatuendo *Hermippum* fuiſſe Scholarcham & Præſidem in puellari

lari pædatrophio, in quo ut notum, ad certos tantum pueritiæ annos educantur filiæ, novis identidem ſuccedentibus, à quibus nova ſemper vitæ longioris pabula recepit, illudque gratis habuit beneficium, quod alii fruſtra multis etiam ſumptibus quæſiverint.

Habent itaque quod gaudeant *Orbilii* inter pueros ævum tranſigentes, neque hoc ut paſſim fit, ita vilipendant beneficium, inter quos ille fuit, in quem luſi Epigrammate, quod ex tractatu meo, quem *Serium in fumis luſum* inſcripſi, ex Cent. 6. Epigr. 52. huc tranſcribam:

Quando doces pueros, tibi fiſtula ſemper in ore eſt,
Atque Scholæ fumos angulus omnis habet.
Cogor ut id faciam dicis, Schola namq; mephytes,
Quas ani crepitus dat puerilis, habet.
Falleris Orbili, fugitivo hi ſunt ſale pleni,
Per quod longævus, ſi ſapis, eſſe potes.
Fætentes fumos mitte, & flatus redolentes
Inſpira, his poteris ſanus & eſſe ſenex.

Ludimagiſter hic tenuioris naſi ne forte à crepitu puerili, nullatenus tamen nocivo, oſtenderetur, puerorum ſalubres anhelitus & vivificas exhalationes perenni tabaci fumo corrumpebat.

Nemo vero judicet Pædagogi officium, quod *Hermippe* aſſignavi adeo vile eſſe. Audiamus quanti D. *Hieronymus* ingenio & ſanctitate præclarus inſtructionis hoc munus æſtimârit. Ipſe inter ſublimia ſacrarum literarum ſtudia non abhorruit tenellam virginem informare. Epiſtola 7. ita loquitur: *Ipſe ſi Paulam miſeris, & Magiſtrum me & nutritium ſpondeo, geſtabo humeris,* *balbu-*

balbutientia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum Babyloniæ periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam. Quod vero pueros attinet, *Cicero* in Cat. maj. n. 29. ait opere adoleſcentulos docendi & ad omne officii munus inſtruendi nil poſſe eſſe præclarius. Unde non tantum puellarum, ſed & non minus horum conſuetudini ineſſe ſenectutis prorogandæ efficaciam nunc utili digreſſione oſtendam. Quantum commodi afferat ſenectuti cum juvenculis converſatio, his verbis Cicero l. c. n. 26. indicat: *Adoleſcentulis bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur leviorque fit eorum ſenectus, qui á juventute coluntur & diliguntur.* Narrat *Ptolomæus* Comment. l. 8. de Maſiniſſa rege, quod pro ſimiis & catulis in aula ſua educarit complures puellos, quos poſtea triennio exacto remiſit ad parentes aliosque denuo ſuſcepit. Ad cujus exemplum prudenter faciunt Principes, qui mimorum & morionum loco in aulam accerſunt puellos, quibus horas ſucciſivas ac tædia fallant unde Cl. *Ramazzinus* Tr. de Principum valetudine tuenda, principibus in ſenectute commendat conſuetudinem & colloquia habere cum juvenibus, ut occulto quodam ſpirituum conſortio mens recreetur.

Nota eſt inter literatos nobiliſſimi veneti *Ludovici Cornari* longævitas, qui usque ad annum vitæ trigeſimum quintum cum adverſa valetudine ſemper conflictatus, omiſſo tandem omnium medicamentorum, quibus aſſueverat, uſu, ſolo exactioris diætæ regimine ad nonaginta annos vitam extendit, licet centeſimum etiam ſibi promiſiſſet.

Hic

Digitized by Google

Hic inter alia ipſe memorat ſe domui aluiſſe undecim ex fratre nepotes, omnes unius patris & matris filios, omnes ſaniſſimos, omnes bonis literis ac moribus aptiſſimos deditiſſimosque, cum his quando domum rediret, ſe luſiſſe, ſaltâſſe, aliosque pueriles geſtus egiſſe, dicere ſolitum, pueros usque ad quintum annum eſſe veluti mimulos. Recenſet ex illo puerorum cœtu ſe multum cepiſſe voluptatis, nec minus acceſſionis ad ſanitatis conſervationem.

Non vero tantum principibus ſed & Philoſophis aliisque ſenioribus doctis dignum eſt puerorum conſortium. Multa cum his *Socrati* erat converſatio, cum quibus non erubeſcebat ludere, ut narrat Romanus Philoſophus Tr. de tranquillitate animi, ut hujus illiusve pueri exploraret ingenium & mores, & ad ſapientiam erudiret. ô Magna animi corporisque medicina Senioribus præſertim, plerumque bis pueris non incongrua indecensque! Ipſe non ſemel vidi ſenes adhuc prudentia venerandos cum pueris

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Ludere chartis, nucibus, globulis, trocho variisque aliis crepundiis. Nam *quis non gaudeat puerilibus ludis?* inquit *Euripides* in Auge, qui apud Stobæum ſic eleganter deſcribuntur:

Aut æream ille muſcam aut ollam luſitat,
Aut ſcarabæos funiculis vinciens
E ſtupa contortis negotium ſeni faceſſit.
Adeſte ô pueri, ô quantum fas eſt, plurimum amati.
O jucundiſſimi & minime moleſti,
Libetne ludere? ludite ô pueriles animi.

ita jocatur cum pueris lepidus ſenex.

Ne-

Neque tantum ſeni prudenti ſalubris, ſed & maxime utilis eſt cum pueris converſatio. Scribit *Eugenius Philaletha* Philoſophus Hermeticus in Tractatu, quem appellat *Euphratem* ſe adhuc puerum miras de igne foviſſe ideas, indeque permotum in adultiori poſtea ætate ſe ſolitum indagare, quas pueri habeant imaginationes de rebus, expertumque eſſe, naturam ſæpius in ſua ſimplicitate prudentiorem eſſe, quam pueros eruditos in ſophismatibus. Intelligit autem pueros adhuc in ſimplicitate integros, non conſuetudine & doctrina aliorum immutatos & corruptos. Scribit hos quidem parvi æſtimari ab hominibus, illorum tamen ingenium priusquam deſtruatur, unum eſſe è rebus, in quo veteres Philoſophi ſingulari curioſitate ſe occuparunt; hanc namque eſſe partem prudentiæ, & multiſcientiæ fundamentum tam in natura quam moralibus. Ita ille, qui tamen pluribus ſe non explicat, utilius judicans converſari cum pueris ſimplicibus, quam cum adultis ſtolidis, quorum mundus plenus eſt.

Enimvero non male ſcripſit *Eugenius.* Poſſident namque pueri virtutes plures morales, unde illos in exemplum Judæis produxit benigniſſimus mundi Salvator: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicuti parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* Matth. c. 18. 3. ad puerorum ſimplicem innocentiam & humilitatem reſpexit Dominus. Agnoverunt hoc ipſi gentiles, unde ſcite *Callimachus* apud *Stobæum: Æquales tibi ſunt agni chare, & agni ſocii.* Et ipſe qui agnus Dei eſt, advocavit parvulos, & juſſit non contemnere unum ex puſillis. Ipſa Sapientia Proverb.

Proverb. c. 9. binis vicibus ad arcem ſuam vocat parvulos: *Si quis eſt parvulus veniat ad me: Qui eſt parvulus, declinet ad me.*

Fortaſſis non placebit hæc ad pueros digreſſio iis, quibus gratius eſt converſari cum puellis. Jucundiora namque dicent cum iis ſunt colloquia, facetiores joci, blandiores ludi, molliores cantus, quos etiam vitæ prolongandæ conducibiles enunciavit *Ficinus*, ſuaviores denique amplexus. Abeant pueri, conſortium cum puellis condimentum ſenectutis eſt, amarum in mel commutans, ex triſti Catone lepidum lenemque, ex tetrico, melancholico, moroſo hilarem & jovialem efficiens, & his longævitatem ſuam debuit *Hermippus*. Ita illi. Verum conſiderent hi velim, qualitates & perfectiones puellarum *Hermippi*.

CAPUT VII.

De habitu & conditione puellarum *Hermippi*.

QUales fuerint puellæ longævitatis Hermippeæ procuratrices non niſi à poſteriori licet colligere. Fuiſſe puſillas, innocentes, caſtas, ſanas arguam inductione parallela. Conſtat ex ſacra pagina, quantæmolis fuerit Regi *Davidi* jam ſeneſcenti, cum opertus veſtimentis non calefieret, invenire adoleſcentulam virginem, quæ dormiret in ſinu regis & foveret ac calefaceret, caſta tamen manens, ut textus habet. Servi itaque illius (ſic in Sacro Codice appellantur Medici, Geneſ. c. 50. 2. ut & apud antiquiores Romanos)

in

in omnibus finibus Iſrael magna ſolicitudine talem quæſiverunt, & tandem adduxerunt ſpecioſam *Abiſag* Sunamitidem, quæ erat, ut verba habent, *pulchra nimis*. Erant Hieroſolymæ puellarum millia, cur ex illis levidenſi opera non elegerunt aliquam? Erat Davidi magnus uxorum numerus. Illarum ſex 2. Reg. 3. nempe *Abigail*, quæ fuerat uxor *Nabal*, *Achinoa*, quam acceperat à *Jeſrael*, *Maacha*, *Haggith*, *Abital*, *Egla*, (quibbus adde *Michal*) recenſentur. Non poterant illæ fovere Regem & calefacere? ut opus fuerit aliunde arceſſere Virginem. Dicam quid hic ſubſit myſterii. Intendebant Medici refocillationem & conſervationem Regis ex juvenculæ vegetæ accubantis calore & perſpiratione; Uxores namque jam vetulas (omnes enim prædictæ jam ipſi pepererant filium) ad illum effectum minus idoneas atque ſufficientes judicabant. Quærebant itaque virginem præ fæminis magis ſanam ac vivacem, eligebant puellam pulchram nimis, quia pulchritudo index eſt bonæ complexionis ac temperamenti, eligebant, quæ non tantum dormiret in ejus ſinu, ſed & quod ſcriptura memorat. Coram eodem ſtaret & miniſtraret, ut ſic quoque ejus anhelitu ac tranſpiratione continuo frueretur: Non videtur autem parvula fuiſſe, quia talis à Miniſterio Regi eſſe non potuiſſet, neque dici quod caſta manſerit. Niſi enim à continentia ſingulari laudem habuiſſet non ſpem longioris vitæ ſed feretrum ſecum attuliſſet.

Approbat *Ficinus* quam maxime hoc pro longævitate Regis Iſraelitici procuranda Conſilium, ſed animadvertit contubernio puellæ eundem nimis

nimis ſero uſum fuiſſe, quia memorata illa recaleſiendi impotentia ſatis indicabat jam factam in corpore ſenili caloris nativi extinctionem. Baro *Verulamius* pro nota ſubjungit *Ficinum* quoque addere debuiſſe, quod puellam illam oportuiſſet more virginum Perſiæ inungi myrrha & ſimilibus, non ad delicias ſed ad augendam virtutem fomenti ex corpore vivo. Quæ inunctio tamen meo judicio intentioni ſenectutis remorandæ noxia magis quam proficua fuiſſet, ut ex Principiis Medicis Parte ſecunda clarius patebit. Fuit autem illa ſenum fomentatio per pueros vel puellas admodum in uſu familiaris apud Medicos Judæos, unde *Barbaroſſa* referente *Verulamio* extrema ætate ſtomacho & iliis continuo applicabat puerulos, à quibus poſteriores Medici praxin didicerunt Seniorum ventriculo etiam Caniculas animalium facile calidiſſimas noctu applicandi.

Ex qua *Davidis* hiſtoria ſequentia in puellis etiam Hermippæis ad longævitatem comparandam requiſita colliges. Primum eſt perfecta ſanitas. Si enim in ore ſedem habeat ſtomacace, in dente caries, in pulmonibus teredo & animæ mephitis, ſi univerſum corpus antiquam paludem oleat, quomodo anhelitu vitales Spiritus, qui in grato odore deliciantur, poterunt ſuſtentari. Mille cum *Neæra* aut *Cælia* lude baſiis, mille exſuge anhelitus vetule, hos licet nardi aut amomi eſſe halitus ſtolide credideris, non inde alacrior præcordia vegetabit ſanguis, non ſenectutis ſolvetur gelu, non corpori marceſcenti novus redibit vigor & venuſtas. *Sunamitidem* igitur perfecta gaviſam fuiſſe ſanitate extra dubium ponimus.

Alterum eſt pulchritudo emphatice in regia concubina deprædicata, per quam corporis juſta ſymmetria & complexionis bonitas intelligenda venit. Nam licet quandoque venuſta *Cydippe* inſtar pomi Sodomæi eleganter foris rubeat, ſi intus tamen putreſcat, quis ſenex impune hauriat has auras putore ſqualidas? quis maris mortui tetros odores? quis pulchro confidat veneno? qua appellatione uſus *Ariſtoteles* monuit *Alexandrum M.* ne miræ pulchritudinis puellam ab Indorum Rege dono miſſam ad intimiorem familiaritatem admitteret. Veneno namque napelli ab incunabulis enutrita tam exitialem ſpirabat halitum, ut omnes, qui dein cum illa commercium habuerunt, extinxerit. Neque etiam promiſcue omnes, utut veneno non enutritæ puellæ, poſt annos pubertatis æque gratum exhalant odorem, imo nonnullæ etiam formoſæ mephitin certis temporibus vix tolerandam.

Tertium eſt caſtitas ſive integritas virginea. Tam innocens enim fuit *Davidis* cum *Abiſag* converſatio, ut textu teſte caſta manſerit. Crediderim ego non modo ad corporis pulchritudinem, ſed præcipue quoque ad hanc continentiæ dotem in electione *Sunamitidis* reſpexiſſe Medicos *Davidis* in ſcientia phyſionomica Diagnoſtes expertos ex peculiari faciei conformatione, illique à natura inſculptis lineamentis, quæ ſane in tanto puellarum Iſraëliticarum numero laborioſum fuit indagare.

Verum hac ſolicitudine opus non fuit *Hermippo*, cui, quæ omnibus deſpotice imperat, libitina, ſufficientes quotannis in pædatrophium ſubmiſit

miſit puellas, parentibus quidem orbas, ſed prædictis qualitatibus inſtructas, innocentes virgunculas, quarum caſta erant oſcula & dulces anhelitus, nulla venerea exſpiratione contaminati, adeoque ad longævitatem maxime proficientes.

Operæ pretium judicamus hic præ Corollario de Superiori Davidis Hiſtoria ſubjungere D. *Hieronymi* ſententiam, quam in Epiſtola ad *Nepotianum* verbis more ſuo elegantiſſimis proponit, putans ſane, ſi occidenti credatur literæ eam à multis habendam pro figmento, aut nugis Attellanis accenſendam. Senſum itaque exponit Myſticum. Audiamus ipſum loquentem; David annos natus ſeptuaginta bellicoſus quondam Vir ſenectute frigeſcente non poterat calefieri. Quæritur igitur puella de univerſis filiabus Iſraël Abiſag Sunamitis, quæ cum rege dormiret, & ſenile corpus calefaceret. Nonne tibi videtur, ſi occidentem ſequaris literam, vel figmentum eſſe de Mimo vel Attellanorum ludicro? frigidus ſenex obvolvitur veſtimentis, & niſi complexu adoleſcentulæ non tepeſcit. Vivebat adhuc *Betſabee*; ſupererat *Abigail*, & reliquæ uxores ejus & concubinæ, quas ſcriptura commemorat. Omnes quaſi frigidæ repudiantur, & in unius tantum adoleſcentulæ grandævus caleſcit amplexibus. *Abraham* multo *David* Senior fuit, & tamen vivente *Sara* aliam non quæſivit uxorem. *Iſaac* duplices *David* annos habuit, & cum Rebecca jam vetula nunquam friguit. Taceo de prioribus ante diluvium vires, qui poſt annos nongentos non dico ſenilibus ſed pene jam carioſis artubus nequaquam puellares quæſiêre amplexus.

Certe *Moyſes* Dux Iſraëlitici populi centum & viginti annos habebat, & *Sephoram* non mutavit. Quæ eſt igitur iſta Sunamitis, Uxor & Virgo, tam ſervens ut frigidum calefaceret, tam ſancta ut calentem ad libidinem non provocaret?

Tacet hic *Hieronymus* rationem phyſicam nil moratus, & ad Davidis filium appellans reſponſum exſpectat. *Exponat* inquit *Sapientiſſimus Salomon patris ſui delicias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus.* Verum tacuit Salomon, nihil de hoc patris ſui fomento locutus. Unde ipſe explicat, & per *Abiſag* intelligit Sapientiam, quæ in ſenibus eſſe debet amplior, largior & ferventior, Cani namque ſenum Sapientia, ſibique ipſi jam ſeni talem exoptat Sunamitidem. *Amplexetur* inquit *me modo* Sapientia & *Abiſag* noſtra, quæ nunquam ſeneſcit, in meo requieſcat ſinu. Impolluta eſt virginitatisque perpetuæ, & in ſimilitudinem Mariæ cum *quotidie generet ſemperque parturiat, incorrupta eſt.* Exhortatur porro ſenes, quia in plerisque friget & marceſcit Sapientia, ut hanc amplectantur Sunamitidem. *Ne obliviſcaris, & ne declinaveris à verbis oris mei, neque derelinquas illam, & apprehendet te: Ama illam, & ſervabit te: Circumda illam, & exaltabit te: Honora illam, & amplexabitur te: Ut det capiti tuo coronam gratiarum.* Et quis prudens Senior talem ſibi quoque non deſideret præ omnium puellarum amplexu & anhelitu?

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Reſolvuntur geminæ autori ab Amico propoſitæ Quæſtiones.

I. Cur non longævior fuerit Salomon, cui tot ex integra puellarum legione ſingulis horis fuerunt Nympharum aſpirationes?

II. Cur Sultani, licet tot in Gynæceo Imperatorio habeant, formoſarum anhelitus, non evadant longævi.

HAbuit *Salomon* Regum Sapientiſſimus exactiſſimam rerum naturalium ad vitæ longitudinem ſervientium à Deo, infuſam ſcientiam, habuit puellarum indefinitum numerum. Erant namque illi ut Reg. 3. memoratur, ſeptuaginta uxores, & trecentæ concubinæ, & adoleſcentularum non erat numerus. Non inepte igitur quæritur, quare ex illarum anhelitu non ſit adeptus longævitatem, cum quadraginta ſaltem annis eum in Iſraël Rexiſſe Sacra prodat Hiſtoria; & juxta calculum *D. Hieronymi* in Epiſt. ad *Vitalem* omnes anni vitæ illius, quinquaginta tantum & duorum annorum circulis contineantur.

Si *nullum immanius eſt malum muliere*, ut dixit *Euripides*, prô quam malorum turbam aluit Rex, profecto quo ad hoc infelix & non Sapiens? Si figmentum *Phocilidis* & *Simonidis* antiquiſſimorum Philoſophorum verum foret Jovem certum mulierum genus ex latrante cane, aliud ex ſetoſa ſue, aliud ex maligna vulpe, aliud ex jubato equo, aliud denique ex ſimia, ut reliqua animalia

 tace-

taceam, procreâſſe, ut diverſa mulierum ingenia moresque ſcite indicarent, prô quot inter ſeptuaginta Reginas, inter recentas concubinas beſtias habuit contubernales *Salomon*? Quid non negotii & curæ circa harum omnium Oeſtra, amores Zelotypias, æmulationes, invidias? Quomodo cum tot ſlecti ſociis (*vel unica* enim inquit *Heſiodus urit ſine torre & ad crudam impellit ſenectam*) evadere potuiſſet Centenarius? Principes canes & equos ſibi quærunt nobiles, & ex generoſa progenie, neque dubium eſt Sapientiſſimum ſeu potius hoc in paſſu delirum Regem ex optima proſapia ſibi elegiſſe uxores & pellices, ſed eas inſtar muſicæ ſub diverſis vocibus fuiſſe unitonas quis credat? Non omnibus eadem fuit facies, non eadem frons & oculi, non idem capillus, neque eadem ſtatura corporis, multo minus idem in mente, ingenio, moribus illarum conſenſus, quod utique Regis animum diſtraxit, ſanitatis harmoniam deſtruxit, corporis ſymmetriam corrupit. Adde trecentas concubinas, ſeu potius tot viperas, tot ignes, tot immanes feras, tot tumidos fluctus, tot malos dæmones, malorum omnium artifices doctiſſimas, quæ ſibi ſuisque idolis à Rege exegerunt & vindicârunt homagium, imo ſervitutem per mendacia, blanditias, dolos. Ille hercule magis quam brutus tot Reginarum amplexus, tot pellicum ut gente & gentilitate, ſic magis complexione & valetudine diſcrepantium irrationalis concubitus ſummam in Regio ſanguine diſcraſiam, in Solidis atoniam, in Spiritibus in libidinum euripo motis ataxiam excitavit, cum quibus quomodo vitæ longitudo

ſtare

Digitized by Google

ſtare potuiſſet? Quomodo multiformis illa cupiditas circa varias Reginarum atque pellicum ſpecioſas formas, quarum modo hæc, modo alia juxta ideas dominantes pervicit, & in Regem tyrannidem exercuit, non ante vitæ terminum, quem virium robore & conceſſa ſcientia ad centum pluresque annos naturaliter extendere potuiſſet, præmature ad tumulum non deduxiſſet *Salomonem*? Habuerit ſine numero adoleſcentulas, ſupponamus etiam innocentes & caſtas, probabile eſt eum ſub continuo tot Reginarum & Concubinarum conſortio eas non magnopere æſtimâſſe, neque illarum affatu & familiaritate ita uſum fuiſſe, ut ex anhelitu beneficium longævitatis exſpectare potuiſſet. Non erat caſtis adoleſcentulis illud cum tot Reginis & Concubinis laſcivientibus æquilibrium, ut poſſet vitalem in Rege ignem tot venereis flammis agitatum, & poſt tot exæſtuationes jam deficientem leni anhelitus aſpiramine conſervare. Enormis luxuria *Salomonem* jam à parva ætate libidini deditum (nam decem ſive undecim annorum fuit, ut ſupputat *D. Hieronymus*, quando *Roboam* filium genuit) præmature è vivis ſuſtulit.

Pergo ad quæſtionem alteram, quam ita brevibus reſolvit amicus, ſcilicet fortaſſis idcirco ſæpius ſtringi Sultanorum colla, ne Gynæcei vapor ſuccedendi ſpem hæredibus auferat, ingenioſe & argute, ſed addere debuiſſet, vel toties etiam toxico extingui. Notum eſt ali in Seraglio nonniſi formoſiſſimas juvenculas, quod ex curioſa relatione Medici Galli *Pauli Lucæ* gratum erit Paulo fuſius intelligere. Refert hic Tr. *Voyage de Tar-*

quie tom. 1. *l.* 1. *p.* 69. ſe à Rege Galliarum Ludovico XIV. in Orientem ad inveſtigandas monumentorum antiquitates miſſum, dum Conſtantinopoli moraretur, ad primariam ex Sultani uxoribus ægrotantem, quæ à Medicis Turcicis ſanari non poterat, viſitandam & curandam ob experientiæ famam vocatum, inque ipſum Seraglium, quod quid rariſſimum, admiſſum eſſe, qua occaſione viderit duas Soldanas ſpecie admodum juvenes atque formoſas ex eodem dimitti; interrogâſſe itaque Eunuchum, quare hæ in tali juventutis flore adhuc conſtitutæ è ſervitio Imperatoris dimitterentur, à quo ridente reſponſum acceperit utramque jam habere ſeptuaginta annos, ideoque emitti, ut adeſſent Sultani ſorori, Aſſani Pachæ Viduæ ægrotanti, moris namque eſſe ex Seraglio non exire niſi perſonas admodum grandævas, quæ vel filiabus vel ſororibus Imperatoris, ſi nubant. Comites conſtituantur. Miratus *Lucas* hanc in vetulis juventutis & pulchritudinis ſpeciem ulterius ab Eunucho intellexit, eas à multis annis continuo uſas fuiſſe infuſo herbæ *Serquis*, quæ nullibi niſi prope Meccham, & in Seraglii horto creſcat, eamque fæminis utentibus tribuat juventutis formam, ut in ſenili 60. vel 70. annorum ætate duntaxat viginti vel triginta repræſentent. Petivit ſibi aliquid de hac herba donari, quod cum ampulla Balſami de Meccha facile obtinuit. Scribit habere quid ſimilitudinis cum minuta ſalvia provinciali (*petite ſauge de Province*) magis tamen eſſe delicatam, minusque fortem, ſaporis vero ſumme delicioſi, cui nullius in Europa notæ herbæ infuſum ſit

æqui-

æquiparandum. Eandem tamen poſtea in valle Montis *Damaſo* vicini quoque creſcentem, parva licet quantitate collegit.

Ex quibus concludo, ſi iſtæ in Gynæceo Turcico vetulæ tam grandævæ ex uſu iſtius herbæ eo vigore ac pulchritudine, quæ de ſanguinis & humorum integritate teſtantur, gaudeant, neceſſe eſt fæminas in illo alias, quibus longe minor ætas eſt, mediante ejus uſu adhuc multo vivaciores vegetioresque exiſtere. Cum tamen non conſtet, ex harum anhelitu longæviores unquam evadere Turcarum tyrannos, pluribus fabuloſum videri poſſet commentum jactitata *Hermippi* longævitas.

Verum enim vero omnia de *Salomone* dicta etiam hic & adhuc magis locum habent. Quanta ſit Turcarum libido, notum eſt, ex *Selymo*, qui uno anno centum liberos procreaſſe fertur, & *Amurathe* III. Centum & duorum filiorum patre, qui nondum quinquagenarius aliquot adhuc concubinis uterum geſtantibus occubuit. Homines autem venereos, & quæcunque animalia in libidinem prona brevioris eſſe vitæ apud Phyſicos indubitatum eſt, unde ad conſortium *Hermippi* non niſi juvenculas caſtas admiſimus. Fortaſſe quoque magis de Sultanis verum eſt, quod de Chriſtianis Principibus ſcribit *Helmontius*, eos plerumque non numerandos eſſe inter vita longa dotatos, etſi enim honoraverint patrem ſuum, longævitate tamen ſibi promiſſa ſpoliari ab infidis auxiliatoribus; rariſſime enim in aulis Principum obvios eſſe medicos, quos creavit Omnipotens unde in Epitaphio Imperatoris olim ſcri-

 ptum

ptum erat: *Turba medicorum periiſſe.* Inde concludit hominum infeliciſſimos eſſe Principes, quibus nemo veritatem dicat, ſed adulatoribus ſtipati nil niſi blandimenta audiant ac deceptionibus alantur. *Guido Patinus*, qualis in aula Regis Galliarum ſuo tempore Archiatrorum fuerit ſtatus, & ſane miſerandus, paſſim in literis fuſe deſcribit.

Potius igitur in aula Othomannica nunquam repertus Archiater, qualem *Helmontius* requirit, aut qualem ſaltem laurea vere dignum creant Scholæ. Habet plerumque aulœdos judæos bipedum omnium nequiſſimos, apud quos non grave & rarum eſt intoxicare Principes & ad orcum mittere tyrannos. Ut Hiſtoriæ loquuntur, quas huc repetere pagellarum anguſtia non permittit. Unicum ſaltem infamis Memoriæ adducam *Lopezium* Judaicæ Religionis Medicum Luſitanum, proditorem & veneficum, qui ſuffocatus & ſuſpenſus fuit Londini Anno 1594. quia ad perſuaſionem Hiſpanorum promiſſa ingenti pecuniæ ſumma *Eliſabetham* Anglorum Reginam veneno perimere conatus eſt, ut *Cambdenus* in ejus vita & in Annalibus Belgicis *Hugo Grotius* commemorant. Peſſima peſtis Judæos Luſitanus intoxicator, inquit *Patinus*. Venenum non alibi ingenioſius quam in Turcia paratur, ad quod ut occidat, nec tactu nec guſtu opus eſt, ſed vel levi aura inſinuata corruptis vitalibus nec lentam quidem mortem inducit. Ut ſcribit *Bard. Euphormio* part. 4. p. m. 465. à laqueo igitur *Oſmanum Hibrainum*, & à toxico *Bajazetum II.* pluresque

Digitized by Google

que alios Sultanos præſervare non potuit tot formoſarum in Seraglio anhelitus.

CAPUT. IX.

Hermippi vita & cum puellis converſatio in hypotypoſi propoſita.

UT ex fabella vera per puellarum anhelitus ſenectutis prorogandæ methodus pateat, ſiſtam nunc vobis *Hermippum* ſenem inter juvenculas repueraſcentem. Nam ad vitam prolongandam ſenes ludos quosdam & mores olim anteactæ pueritiæ, quantum decet, revocare jubet *Ficinus. Difficillimum* namque *eſt* ait *te juveneſcere corpore, niſi ingenio prius repueraſcas.*

Supponimus itaque eo tempore Romæ extitiſſe ſplendidum quoddam Gymnaſium Virgineum ſeu Pædatrophium, in quo ut hodie in illo, quod *Innocentius III.* erexit, & *Sixtus IV.* ampliſſimis reditibus dotavit puellarum parentibus orborum agmina fuerint ſuſtentata, quemadmodum hodie in Orphanotrophio Florentino non de victu modo, ſed veſtitu & omnibus ad vitam neceſſariis pueri puellæque ad DCC. providentur, præter lactantes vix pauciores trecentis, & nutrices miniſtrosque, quorum ea eſt multitudo ut ad MCCCC. homines ſumptibus hujus loci quotidie cibentur. Quod avtopta ſcribit *Mercurii Italici* Autor. p. 118. Et in tali vel ſimili Pædatrophio *Hermippum* Præfectum & Pædagogum conſtituimus. Quo vero vitæ anno iſtam ſub puellarum regimine vitam inchoavit, impoſſibile eſt hariolari. Si tibi quinquageſimum

quagesimum aut ſexageſimum dixero, metuo, ne mihi cum *Seneca* l. de Brev. vit. reſpondeas: *Quam ſerum eſt tunc vivere incipere, cum deſerendum eſt. Quæ tam ſtulta mortalitatis oblivio in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?* Unde puto juxta proverbium, quod monet, *mature fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex*, *Hermippum* mature, id eſt diu prius, antequam fieret ſenex, conſilio hoc & medio ſenectutis prorogandæ uſum fuiſſe, non attento magni *Tullii* effato: Qui ait *ſe minus diu ſenem eſſe malle, quam eſſe ſenem antequam eſſet.* Nolo itaque cum *Seneca* qui cum homine ad ultimum ætatis terminum perducto & centeſimum annum jam agente inibat rationes, ad examen revocare *Hermippi* vitam, an etiam magnam ejus partem diripuerint ea, quæ longo numero recenſet. Creditor, amica, reus, cliens, lis uxoria, ſervorum coercitio, officioſa per urbem diſcurſatio, morbi luxu accerſiti, vanus dolor, ſtulta lætitia, avida cupiditas, hæc enim ſunt, quæ multum vitæ auferunt, ut plurima pars hominum pauciores annos habeat, quam numeret, & cum exiguum illi de ſuo relictum ſit, poſſit intelligere ſe immaturam mori.

Puto itaque hæc omnia ex *Hermippi* vita abripuiſſe nihil, ſed eum à prima juventute non foro, non campo, non curiæ, non roſtris, advigilando, non judicando, non militando, non denique regnando (quæ vita vere Regia eſt ipſius Cæſaris *Auguſti* votis unice expetita teſte *Seneca*) in quiete cum dulci ſaltem Inſtructionum oblectamine

mine in Pædatrophio Romano ſeu quodam *Gymnaſio Virgineo* vitam tranſegiſſe. Potuit ſic Sapientiæ vacare, ſibi ſoli vivere, ſuam ætatem bene tueri, imo puellarum ævum ſuo adjicere. In quo vitæ genere potuit illi adeſſe amor virtutum atque uſus, cupiditatum oblivio, vivendi atque ſerius moriendi ſcientia, ut credere fas ſit eum fuiſſe prudentiſſimum patrem familias, probatiſſimum Præceptorem, & Medicum ſaltem ſui peritiſſimum, qui præcepta officiaque, quæ ad bonum œconomum, & quæ ad pædagogum, & quæ ad ſanitatem tuendam pertinent, noverit expleveritque.

Hæc ſunt, quibus non majora à viro prudente exigere poterat vel ipſa Sapientia. Videamus nunc, quomodo etiam repueraſcens ætatem in conſortio puellarum triverit. Pædatrophii domus palatio æmula plura habebat decumana, & vere anguſta cubicula & triclinia, ex quibus elegerat pro ſua puellarumque quotidiana commoratione ſat ſpacioſum, ut halitus ex puellarum numeroſarum corpore atque ore jugiter exſpirans incluſum aërem ſufficienter implere, & ſalubribus effluviis ubertim imprægnare, ſicque commeatu ſuo in *Hermippi* pulmones quæſitum vitæ beneficium luculentius præſtare poſſet. In hoc magnam diei partem cum illis tranſigebat, gratis & dulcibus alloquiis, inſtructionibus moralibus, hiſtoriolis & præceptis vitæ ad virtutis normam conformandi aptis horas laudabiliter, ſed quaſi ludendo aliudve agendo conſumens.

Sum-

Summo mane, quo jam evigilans puellarum turba murmure ſuo ſomnum plerumque rumpebat, in conclavi luculentum ignem ſtruebant famulæ focariæ, ad aëris per noctem condenſati rarefactionem conciliandam, & bonis odoribus, præſertim humidiori tempore (idque plerumque non ſemel in die) ſuffumigabant, ex inſtructione heri ſui non ignaræ, quantum illi ad ſenectutis conſervationem proficerent. Surgenti ſeni Præſidi, & quaſi patri ſuo jam præſens in triclinio puellarum majorum caterva (nam abſit à ſolis puſillis longævitatis *Hermippeæ* beneficium repetere) de feliciter tranſacta nocte lætans gratulabatur. Non raro narrantium inſomnia amœna explicatione ad moralia ſcite applicabat. Nonnullæ ex illis & menſura corporis & ingenio majores & jam adulationis gnaræ optimo ſeni niveas pectebant comas, aliæ pectine prolixiorem canam barbam adornabant, aliæ cervicem humeroſque, quod antiqui ſaluberrimum credebant, panno aſpero leniter fricabant, & ſi eo tempore mos invaluiſſet infuſum herbæ ſinicæ, aut exoticarum ex Arabia fabarum toſtarum decoctum bibere, etiam aliæ dubio procul obtuliſſent. Saltem ex ejusmodi potionum illo tempore defectu colligent hodie illis, nimium aſſueti, ſine utroque longævitatem obtineri poſſe.

Peracto inſtructionum penſo reliquum diei tempus puerilibus oblectatiunculis, ſaltibus, puparum luſibus & non raro cantiunculis arridente & applaudente *Hermippo* tranſigebatur. Nil enim apud antiquos Philoſophos & Medicos ipſis cantibus & concentibus ad ſanitatis conſervatio-

nem

nem efficacius potentiusque credebatur, ita omnia cum puellarum anhelitu conſpirabant in ſenis conſervationem.

Jam eum rarior hujus puellæ delectabat forma, jam alterius capiebat præcox modeſtia.

Et pudor & tenero probitas maturior ævo.

Si forte negotiorum cauſa urgeret ab illis tantiſper ex cubiculo ſeceſſum, vidiſſes hanc illamve filiolam abitum morari arctis nexibus, atque vel à janua oblato oſculo revocare. Poterat de eo dici illud *Prudentii*

Cernuat ora ſenex barbatus & oſcula figit.

Vidiſſes ubi rediret, obvias intranti rurſus in ora manusque proſilire, & ut Poëta loquitur, *brevibus humeros circumdare ulnis.* Vidiſſes illam in gremium venerabilis ſenis inſilire, etiam manu tenera arridentem verberare, aliam irreptare humeris, imo blando agmine certatim concurrere ad ejus amplexum univerſas, ſicque vere cum puellis ludere repueraſcentem. Nam ut *Quintilianus* ait, Romani non ſtudia modo curasque, ſed remiſſiones etiam luſusque puerorum ſanctitate quadam & verecundia temperabant.

Adjacebat Pædatrophio hortus amœniſſimus, in quo florum herbarumque, quæ magnum vitæ longiori præſtant ſubſidium gratiſſimis odoribus Spiritus vitales recreantes, & quibus etiam indies conclave exornabant puellæ ſolertiores, uberrimus erat proventus. In hunc quotidie ſerenius arridente aura cum univerſo juvencularum grege ſecedebat & exſpaciabatur *Hermippus*, comitantibus ſingulas ſuis pupis inter quas ſine cura degebat, ne unam quidem hanc curam ſumens, qua

ſol-

Digitized by Google

ſolicitus curaret, qua potiſſimum diligentia curas effugeret. Sine quo uno tanquam omnium præſidiorum vita, omnia ad producendam vitam adhibita emori cum Platonicis indicabat. Hic cum puellis jocabatur, ludebat, ſaltabat, cantillabat, & ludiera puerilia exercebat vere repueraſcens.

Mille ibi nequitias teneræ movêre puellæ,
  Mille jocos, methodos mille leporis habent.
Se redimunt ſertis: verno deflore coronam
  Hermippi canis impoſuêre comis.
Et ſic ſunt Pylios Parca ringente per annos
  Candida felici ſtamina ducta manu.

Verum quo dilabor? quid puerilibus immoror crepundiis? Dicet fortaſſis, cui ſeverius ſupercilium me ridiculas tractare ineptias & cum *Hermippo* repueraſcere, jamque ætate gravem, ſi non moribus, ſaltem calamo infanteſcere. Verum longe abſit iſta levitas, ut velim nova vitæ fundamenta ponere. *Quid* enim *turpius* inquit Seneca, *quam ſenex vivere incipiens*? ne igitur lectori faciam opinionem, luſus, qui olim puero, nunc quoque mihi placere ſeni, priſtinis rugis caperata fronte ad ſeria me rurſus convertam, & quo cœpi ore pergam *Hermippeæ* longævitatis cauſas enarrare.

EX-

Digitized by Google

EXERCITATIONIS PHYSICO-MEDICÆ CURIOSÆ

De Senectute

Per anhelitum puellarum prolonganda

PARS II.

POterant hæc quidem, quæ ad longum nunc deduximus, curioſis ſufficere ad confirmandam ſenectutis Hermippeæ veritatem & veteris monumenti elucidationem, cum tamen alia adhuc circa hanc perveſtiganda occurrant, quæ in longævitatis concauſam venire poſſunt, licet inſcriptionis fabro non memorata, aut forte ignota, ipſo tamen anhelitu non minora, fortaſſis etiam efficaciora, oſtendam nunc dilucidius prorogandæ ſenectutis poſſibilitatem non tantum per puellarum anhelitum, ſed etiam magis per inſenſibilem ex earum corporibus tranſpirationem.

CAPUT I.

Longævitas *Hermippi* adſtruitur ex puellarium corporum tranſpiratione inſenſibili.

PRima quidem hujus diſſertationis parte, qua anhelitui Parthenico virtutem Analeptico-gerocomicam adſcripſi, viſus ſum quaſi ſolis puſillis illam attribuiſſe, hac tamen altera patebit me nec ipſas ætate & ſtatura majores excluſiſſe. Cur enim provectas & nubiles ex Pædatrophio expellerem, nulla ſuppetit ratio moralis aut phyſica. Non moralis: Neque enim niſi poſt pubertatis annos ex eo dimittebantur. Non phyſica: Sicuti enim ex immaturis fructibus non niſi ſucci crudi exſpectandi, & qui ex illis forte exſpirant halitus, minus generoſi & efficaces deprehenduntur, ex maturis autem longe gratior, ſpirituoſior & efficacior odor exhalat, ſic vapor ille puellaris, quo dulci veluti rore novam in juventam refloreſcunt ſenes, indubie in natu majoribus eſt efficacior.

Major enim mediis gratia rebus ineſt.

Et cum Senium *Galeno* teſte l. 5. de ſanit. tuenda frigidam ſiccamque ſit, adeoque corrigendum per ea, quæ calefaciunt & humectant, ratio docet in puellis provectis & nubilibus exſpirationes eſſe, unctuoſiores & calidiores vegetioresque, adeoque majori refocillandi & reſtaurandi facultate pollere, quam in puſillis ſanguine & lympha crudiori adhuc ſcatentibus. Ne igitur illis injuriam

riam faciam, quarum fortaſſis non paucæ erectis ſuperciliis & explicata fronte gloriabuntur, ſe præ puſillis longe felicius ſuo Spiritu ipſam Charontis ſenum trajectui jam ſolutam Cymbam viventium ad portum repulſuras, ſecunda hac parte non tantum illarum, ſed vel ipſarum quoque nuptarum, ſi cætera ſint paria, anhelitui & exſpirationibus virtutem ſenectæ conſervatricem adſcribi poſſe rationibus & experientia evincam. Præmittam igitur poſitiones in foro medico certas, ex quibus poſtulati veritas indubie ſequetur, & vere magis quam ex ſolo anhelitu.

I. Corpus humanum juxta *Hippocratem* cæteroſque Medicinæ proceres perſpirabile eſt, quatenus per poros cutis in ſanitate patulos ob continuum liquidorum motum ſanguinis perpetua circulatione attenuati particulæ ſive effluvia inceſſanter emittuntur, quæ juxta ſtaticen *Sanctorii* quaſcunque alias corporis excretiones mole & aliquot librarum pondere intra Nycthemeri ſpacium ſuperant.

II. Effluvia hæc tranſpirata, ſeu per tranſpirationem emiſſa corporum ſuorum redolent naturam; & uti ex ægrotantibus & cacochymicis inſalubria & noxia, ſic ex juvenilibus vegetis ac ſanis non tantum vivida, ſana & volatilia, ſed & humido - unctuoſa excernuntur, quemadmodum & ipſe ſudor, qui ex tranſpiratis condenſatis conſtat, humidus quoque & pinguis eſt.

III. Humanum corpus inſpirabile quoque eſt, ideſt habet poros & vaſa abſorbentia in cute, per quæ externæ aſpirationes, ſeu variorum corporum tam inanimatorum quam animatorum exha-

lantia corpuſcula intro ſuſcipiuntur, & varios pro re nata effectus producunt, ut medicamenta exterius applicata, & ex vario miaſmate contagia ſatis evincunt. Indubitatum eſt aërem effluviis refertum per cutis ſpiracula ingredi & ſanguini ac ſucco nervoſo ſe inſinuare, motusque vitales aut roborare, aut etiam, ſi virulentus ſit, peſſumdare. Propterea *Hippocrates* l. 6. Epid. Sect. 7. aptiſſime *carnes* appellat *attractrices*, *& ex ventre & extrinſecus, quia totum corpus perſpirabile.*

Quibus ſic juxta vera medicinæ fundamenta ſuppoſitis conſiderandum porrò, quis ſit corporis ſenilis ſtatus, & in quo ipſa ſenectutis ratio conſiſtat, ut intelligi poſſit, quid ſubſidii ex puellarum corporea perſpiratione, ſeu univerſi illarum corporis naturalibus & ordinariis effluviis intro ſuſceptis illi accedere valeat.

Notum eſt corpus humanum eſſe machinam pnevmatico-hydraulicam ex fluidis atque ſolidis contextam, ejusque evexiam & vitam in horum continuo motu atque circulo conſiſtere, liquidorum autem motum à ſolidorum motu tonico, ſyſtole atque diaſtole unice dependere, ita ut hiſce integris ac ſalvis vita conſtet, ceſſantibus atque ablatis pereat.

Certum porro fluida corporis humani in ſe ſpectata, quatenus indies renovantur & per alimenta reſtaurantur, quam diutiſſime & vel ultra ævum durare poſſe, eorum tamen motum tandem neceſſario imminui ac demum tolli duntaxat ex vitio ſolidorum, quatenus hæc tractu temporis, & longo annorum curſu paulatim in-

indurantur, exareſcunt, rigida ſicque immobilia evadunt, unde tono & motu ceſſante conſectarium quoque eſt fluida remorari & tandem penitus ſubſiſtere. In qua fibrarum ariditate, duritie, inflexilitate & ad vividum motum ineptitudine ſenectutis ratio formalis conſiſtit, quam proin veteres in ſiccitate & frigiditate collocarunt. Confer Decadem meam Cur. Tentaminum de vita prolonganda Cap. ultimo.

Ex quibus demum concludo, ſi quis poſſet ſolida in ſua mollitie, flexilitate ac conſequenter juſto tono ac motu conſervare, eum quoque poſſe avertere ſenectutem, & ſic vitam ultra centum pluresque annos facile protrahere.

Agnoverunt jam veteres hanc veritatem, unde ad retardandam ſenectutem, id eſt ad ſolidorum ſervandam mollitiem & flexibilitatem, plurimum in uſu habuerunt frictiones, balnea, & cum oleis inunctionem. Quibus tamen dubium eſt, an ſcopum obtinere potuerint, quia olea iſta groſſiora tota ſubſtantia, quod tamen requiritur, corporis humani fibris ſimilia non ſunt, neque vim habent penetrandi, & ſe inſinuandi penitius ad interiores corporis partes ſolidas motuum Autores. Imo ſi illuc penetrarent, potius noxia forent, cum exterius inuncta poros obſtruere & tranſpirationem impedire comperiantur. Quamvis contrarium videatur probare exemplum *Joannis de Temporibus*, qui ut memorat *Verulamius* ad annum tricenteſimum ætatem produxiſſe fertur ſeu ut alii referunt *Pollionis* veterani militis apud Cæſarem *Auguſtum*, qui centeſimum annum longe exceſſerat. Qui rationem rogati, quomodo

vigorem corporis tanto tempore conſervarint, reſpondiſſe dicuntur: *Melle intus, foris Oleo*. *Plinius* l. 2. c. 24. ſcribit *Democritum* Abderitam ſenem plurimum melle delectatum, quo vitam prorogâſſe fertur, cum interrogaretur, quonam pacto quis ſane degeret, reſpondiſſe, ſi interiora melle, exteriora olea madefierent. Corium quidem vetus exſiccatum ac rigidum inunctione olei emolliri, & quod molle eſt, à duritie præſervari valet, ſed hoc in corpore humano locum non habet, tum ob cauſas prædictas, tum quia non tantum partium externarum emollitio neceſſaria, ſed præcipue etiam internarum, ad quas oleis iſtius modi non datur ingreſſus.

Ex his præmiſſis ſic concludere licet. *Hermippus* puellarum quibus convixit, non tantum anhelitus, ſed & tranſpirationes vividas ac vitales per poros & abſorbentia cutis vaſa intro ſuſcepit, ac procul dubio ſatis mature ac per multos annos, quæ ſenectutis ſiccitatem & ariditatem impediverunt. Quarum exſpirationum potentiam jamdudum ante *Sanctorii* ſtaticen cognovit *Ficinus*, quod ex ejus verbis l. 3. de vita cœl. compar. c. 23. ſatis colligitur: *Sane propinquitas ipſa corporum animatorum putatur eſſe contactus propter efficacem vaporum exhalationem foras à calore, ſpiritu, affectu manantem.*

Corporis vero puellaris perſpirabile non duntaxat humidum eſt, ſed & unctuoſum, ideſt ex aqua & oleo conſtans, ideoque naturam & vim obtinens humectandi & emolliendi ſiccas rigidasque corporis ſenilis fibras, quo diuturniori motui, contractioni dilatationi, & fluidorum impulſui

ſui ſufficiant. Fibris namque corporis pariter humido - unctuoſis exſpirationes iſtæ ſyngeniæ & quaſi conſubſtantiales, olea vero vegetabilium peregrina ſunt. Per ſimilia autem ut conſervatio & reſtauratio fiat neceſſe eſt. Adde quod iſtæ ceu vitales ac volatiles attenuare fluida, & ad motum apta reddere valeant juxta Canonem *Verulamii*: *Juveniles Spiritus corpori ſenili inditi vitam vel retrovertere, vel ſaltem in intentione ad longævitatem ſervare integram valent.*

Dixi perſpirabile corporis puellaris eſſe unctuoſum, alii vapores oleoſos ſeu halitus ſulphureos appellant, quia corpora fæminea præ virilibus, & conſequenter etiam puellaria præ puerilibus majore ſcatent unctuoſitate, quod experientia antiquos quoque Romanos docuerat, quibus ut ſcribit *Macrobius* cadavera comburendi ritum recenſens, *ſolenne erat ſenis virorum cadaveribus muliebre adjicere, quia perſuaſum erat unius adjectu quaſi natura flammei cætera virorum corpora rapidiori foco abſumi.* Nempe ratione ſuperabundantis oleoſæ unctuoſitatis, quæ & majorem & citatiorem in buſto flammam ciebat.

Ex quo unctuoſitatis fundamento quoque oritur, quod frequenter obſervatum ſit ex corporibus fæminarum manifeſtas lucis-flammas noctu erupiſſe, quod præter innumeras alias illa apud *Scaligerum* Exerc. 174. Caumontiæ Heroina, & apud *Jo. Fabri* in Palladio Chymico puella inter pectendum è capite ingremium ignis ſcintillas ſtellarum inſtar excutiens, & apud *Bartholinum* Tr. de luce hom. c. 19. illuſtriſſima D. *Caſſandra*

Digitized by Google

Burri veronenſis, cur ſi vel leviter linteo artus tangerentur, ſcintillæ non ſecus ac ex ſilice excutiebantur, abunde teſtatum faciunt. Fiendi modum & cauſam *Lumen meum novum phosphoris accenſum* ſufficienter detexit. Hoc loco ſaltem ſcire ſufficit, quod lux illa veluti calor ſumme attenuatus ſuperabundantem in corporibus fæmineis ignis vitalis copiam prodat. Unde non mirum eſt Medicos Hebræos pro fovendo & calefaciendo Rege non puerum, ſed puellam Sunamitidem quæſiviſſe.

Ex quibus omnibus puto nunc ſufficienter patere perſpirationes puellarum inſenſibiles ad *Hermippi* longævitatem plurimum contribuiſſe, quod ſequenti capite magis illuſtrabimus.

CAPUT II.

Puellarum Hermippearum indoles ulterius deſcribitur.

NOvimus ex *Sanctorii* ſtatice copioſam corporis exhalationem eſſe in dormientibus, & non ſolum ægros cum ſanis ſed & ſanos cum ſanis cubantes inter ſe bonas vel malas diſpoſitiones communicare. Nullum dubium *Hermippum* nunc hanc nunc illam ex puſillis ſibi per noctem accubam habuiſſe. Nil enim his conſuevit eſſe gratius, quam parentibus ſuis, vel quos illorum loco habent, nocturnam in lecto præſtare ſocietatem. Vidi filiolas, quæ hic de prærogativa ardenter certarent. Quid igitur mirum eum hoc fomento nunquam deſtitutum, etiam ſubtus

ſomnum

ſomnum exhalationibus puellarum oleoſis quaſi perunctum juvenilem vigorem & calorem diu in ſenectute ſervâſſe. Poterat de tali puella accubante dici illud Virgilii 1. Æneid. paucis mutatis

Et dedit amplexus atque oſcula dulcia fixit
Occultum inſpirans ignem.

Intellige vitæ, non libidinis. *Turpe* namque *ſenilis amor.* Ita inſpiravit *Hermippus* & vigilans & dormiens aërem vitali luce viventem. Et hoc puerile *Avicennæ* fomentum, accubitus puellæ nocturnus ad adoleſcentes & viros juvenes non pertinet, ſed ſolis decrepitis & frigidis ſenecionibus reſervatum eſt. Si verus eſt *Petri Bleſenſis* aphoriſmus l. d. amicitia. *Non eſt melior Medicina homini, quam homo*, dici quoque poſſet, ſi vera eſt longævitas *Hermippi* ex halitu puellarum. Non eſt melior Medicina ſeni, quam puella. Verum non perinde eſt qualis illa ſit, ut in extrema ſenectute conſervationis effectus ſequatur. Oportet illam habere complexionem ſenis temperamento, quale in juventute obtinuit, fere analogam, aut ſaltem ſanguineam, florentem, vividam. Oportet eam teneræ eſſe ætatis, mollem & ſucci plenam, in qua calor nativus vegetior, ab animi motibus ſumma quies, veneris paſſiva impotentia, ſalubris & moderata victus ratio, & ſic perſpiratio libera, facilis, ſana, optima.

Non enim quis credat, omnes puellas tam gratioſas ſpirare exhalationes, quæ longævitati faveant, cum non ſit cunctis evexia numeris

omnibus abſoluta. Conſtat S. Scripturæ Teſtimonio quanti laboris fuerit in omnibus finibus Iſrael invenire aptam conthoralem Regi adoleſcentulam. Mihi ſi id muneris, quod olim Medicis Davidis, committeretur ad quærendum ſeptuagenario Regi nocturnum fomentum, ad caulas potius Ruſticorum, quam domos nobilium diverterem. Agricolæ potius ſaniorem filiolam, quæ nitidos haberet dentes & ore bene oleret (indicium namque foret bonæ chyloſeos & conſequenter laudabilis ſanguificationis & tranſpirationis) quam delicatius educatam viri nobilis gnatam eligerem ad exemplum Regis *Cyri*, qui Ruſticam *Aspaſiam*, cui fuit

Placidi tam melleus halitus oris
Ut ſpirare etiam ſic volet ipſa charis.

Licet Patrem haberet viliorem *Ægonem* & *Mycalen* Matrem Regio dignatus eſt thalamo non pellicem, ſed maritam reginam. Non attenderem ſanguinem generoſum, non cothurnatum pedum inceſſum, non ventoſum ſermonis typhum, non oris & hodie quoque balænatum ventris fucum, quem jam ante plures, quam centum annos Amœnitatum humanarum tomo ſecundo in *Como* acuto hoc Epigrammate deſcripſit *Erycius Puteanus*.

Bajulat Iſchiacam laſcivo pondere vannum,
Et tumido gaudet virgo placere ſinu.
Dant humeros coxæ, medio quoq; corpore collum
Surgit vix geminæ circuitu ſpithamæ.
Membrorum deforme chaos! &c.

Sed

Sed duas qualitates in Sunamitide notatas, pulchritudinem & caſtitatem ſpectarem.

Et licet talem mihi fortuna magis quam prudentia concederet, nolim tamen cuipiam promittere ætatem Hermippi, quemadmodum nec ipſi Davidi per ejusmodi ſelectiſſimæ virgunculæ accubitum illa obvenit. Non enim in omnibus eundem effectum ſortiuntur medicamenta etiam generoſiſſima. Quis enim novit, quo in aëre vixerit *Hermippus*? hic enim & multum facit ad vitæ longitudinem. Qua diæta uſus fuerit, ſine hac enim longævitatis tentamen inutile eſt: Quo corporis habitu gaviſus, hujus quoque unus præalio majus habet vitæ longioris Privilegium, ut medicorum experientia & obſervationibus confirmatur. Etiam muneris & profeſſionis ratio hæc præ altera ad vitæ prolixioris uſuram utilior commodiorque eſt. Aſſignamus *Hermippo* eam, quam huic ſcopo convenientiorem judicavimus.

CAPUT. III.

Vitæ per puellarum anhelitum & tranſpirationem producendæ ratio & potentia à contrario confirmatur.

SPectavimus nunc *Hermippum* in juvencularum contubernio anhelantem puellarum animas. O miſerum ſane his conſortium, quæ coactæ fuerunt continuo.

Deformem & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilemque ſui deformem præ cute pellem,
Pendentesque genas & grandes cernere rugas.

Nec

Nec non putidos ſenis capularis inhalare Spiritus. Spectabimus nunc longe miſeriorem juvenum ſortem in ſocietate connubiali vetularum, ut ex harum anhelitus & exſpirationum noxa in illos plerumque redundante, & juventæ vigorem exhaurient vitamque accurtante contrarium ex puellis in ſenes emanans vitæ longioris beneficium amplius confirmetur.

Videas non raro juvenes prædæ aureæ inhiantes etiam effætas anus accerſere in matrimonium, ſub ſpe illas ſupervivendi, & ſecundum lætitiæ diem in earundem ſepultura brevi videndi, duos namque duntaxat gaudii dies in connubio ſtatuebant veteres Philoſophi primum quando ducitur, alterum quando tumulatur uxor; verum non infrequenter his prius in mortem oculi clauduntur.

Audias hujusmodi adoleſcentem ſuam quandoque vetulam catulientem alloqui verbis *Plauti :*

Ego te? quam ſi intelligam deficere vitâ, jam ipſe vitam meam tibi largiar & de mea ad tuam addam.

Quod certe reipſa non raro verificatur. Audias alium juveniliter delirantem cum *Tibullo* in hos verſus erumpere:

Vive diu mi dulcis anus, proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuiſſe velim.

Alium

Alium nimis fatuum cum *Papinio ſtatio* excla-mare:

Pars animæ victura meæ, cui linquere poſſim
O utinam quos dura mihi rapit Atropos annos!

Cui voto ſæpius Parcæ lubentes annuunt, deque annis juvenum annos augent vetularum.
Alium audies cum *Horatio* Mecœnatem ægrotantem lugente uxori vetulæ ſic abblandiri:

Ah te meæ ſi partem animæ rapit
maturior vis, quid moror altera
Nec carus æque nec ſuperſtes
integer? ille dies utramque
Ducet ruinam: Non ego perfidum
Dixi Sacramentum, ibimus, ibimus
utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter Comites parati

Hoc eſt: Ah! ſi contingeret te dimidium mei à morte immatura abripi, ad quid exſpectabo, & quaſi medius tantum homo in vivis manebo ſuperſtes? non ſane una nos dies tumulo inferet. Non pejeravi. Ibimus una, ibimus, ſequar te, ubi & quando me præiveris ô grande mendacium! ſic paſſim vetulis os oblinunt juvenes, ut aurea hæreditate potiantur.
Interim vetulæ, quibus putridus oris halitus, & impuri, exſucci ſqualidique corporis nequam eſt Spiritus, pravo contactu fædoque commercio maritos juvenes brevi tempore emarcere faciunt, & in ſenium propero gradu præcipitant: Exſpirantes ex anili corpore fuligines, ubi corpus juvenile attigerint, afficiunt, inficiunt, conficiunt,

ut

Digitized by Google

ut non inepte exclamârit quidam Philoſophus morti proximus: *Non cognovi vetulam, quare debeo mori?* quaſi unica mortis cauſa foret vetulæ commercium. Experientiâ notum eſt, quod anus infantem brachiis exceptum oris fætidi oſculo vel etiam anhelitu non raro ita inficiat, ut maleficio & faſcino oppreſſus credatur.

Vetula vorago eſt & Harpya, quæ juvenes vorat, vires carpit, Spiritus vitales exhaurit, & amando mandit. Stolidus eſt adoleſcens, qui ut aurum arripiat, intrat mortis januam & demergit ſe in puteum interitûs, nempe in perſpiratione anus ex morbo incurabili, qui ſenectus eſt, is eſt putor & malitia ut Hebræi eam ſingulari proverbio indicârint, quod ex *Abenſina* refert *Tollius* in Fortuitis c. 11. *Aquæ mulieris, quæ virgo juvenis eſt, dulces ſunt & augent vires, ſed aquæ mulieris vetulæ amaræ ſunt ut abſinthium, & debilitant vires, ut ciſterna quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo abſumpſit* quod tali ſcholio explicat. Nil vires magis affligit tetro & illætabili, nil rurſus eſt, quod easdem magis afficiat jucundo ac ſuaveolente odore. Jam vero in juvenculis odor naturæ bonus eſt, modo recte valeant, contra in vetulis noxius & ingratus.

Quam pernicioſa ſit in vetulis exhalatio, licet in omnibus ſe ſtatim manifeſto effectu non prodat, docet nobilis adoleſcentis apud *Weinrichium* Comm. de monſtris p. 139. lugubre Exemplum. Hic ne nudum quidem vetularum conſpectum ferre poterat, qui proin ipſi tandem fuit lethalis.

Digitized by Google

Cum enim eundem in convivio quodam præſentem anus quædam ex adverſo ſedens curioſitate fæminea ſæpius aſpiceret, nobilis id animadvertens ita perterritus fuit, ut mox in lethalem Syncopem & mortem ipſam durante adhuc convivio incideret, quod exitialibus effluviis (nam ex his oriri antipathias certum eſt) certe debebatur. Nemini quidem hanc averſionem, ſed ſaltem hujus antipathiæ modicum exoptarim illis juvenibus, qui propter aurum anum depereunt. Valeat Philoſophus *Laertes* cum ſua vetula ancilla, quæ referente *Stobæo* Serm. 106. potum cibumque illi præbebat, & cum qua humi dormiebat in herbaceo thoro ex foliis humili loco jacentibus. O miſerum Sapientem! Qui juvenis eſt ducturus anum, & nonniſi dotem intendit, invitetur adoleſcentem apud *Martialem* l. 10. Ep. 8.

Nubere Paula cupit nobis, ego ducere Paulam
Nolo, anus eſt, vellem ſi magis eſſet anus.

Tanta eſt cati domeſtici malignitas ex oculis & ore ſpirans (nam & ejus cerebrum homini toxicum habetur) ut ex ejus familiaritate & accubitu plures in tabem ac hecticam immaturamque mortem inciderint. *Matthiolus* l. 6. in Dioſc. c. 25. teſtatur, integrum monachorum cœnobium funditus extinctum eſſe, eo quod fratres in deliciis diu noctuque in menſa ac thoro catos haberent, quorum in ipſo clauſtro magna erat copia; Sed nec minus periculum eſt, ſi quis uxorem vetu-

lam

lam concubinam habeat, quæ juvenilis vitæ flammam ſatis reluctantem non quidem ſtatim difflare & diſſipare, paulatim tamen inſtar cati imminuere & extinguere poteſt, unde eleganter quærit *Martialis* l. 14. Epig. 147.

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis.
Quid prodeſt ſi te congelat uxor anus?

Econtra experientia docet gelatam vetularum brumam calore juvenili ſolvi, easque novo quaſi vere refloreſcere, & ſenectam quaſi deponere, ex ſalubri adoleſcentum anhelitu & tranſpiratione. Si me jam ſenem in juvenem recoqueret altera Medea ducendaque eſſet anus, mallem cum *Melamone* Gynæcophobo mulierum conſpectum nedum conſortium fugiens in ſolitudinem migrare, perque avia montium ut ille, ſolo cane convictore feras inſectari, nec unquam domum pedem reducere, *Melamone caſtior*, quod in proverbio eſt. Tu quisquis es Lector juvenis aliquando ducturus uxorem ſequere monitum illuſtriſſimi Baronis ab *Heuel* quondam Cæſari à Conſiliis, in Pſalmodia Sacra ad Pſalmum 143. ita tibi accinentis:

Si cupis uxorem, quæ præſtet ubique decorem,
Formidetque marem, delige ſorte parem
Prolificam, bellam, prudentem quære puellam
Non Genium vanum, nec viduam, nec anum.

Verum manum à tabula malo irritare canem quam anum. Patet ex hac indicatione, quanta ſit anhelitus & exſpirationum poteſtas, quantumque hæc momenti habeant ad vitam vel ſanam & lon-

longam, aut morboſam brevemque, quodque non implicet, ***Hermippum*** illorum beneficio ad tantam longævitatem deveniſſe.

CAPUT IV.

Maritos ſenes uxorum juvenum contubernio ad longævitatem pervenire poſſe oſtenditur.

MAgna ſunt, quæ hactenus ſtatui & ætati puellari tribui elogia, ob quæ jam inſurgentem contra me animadverto fæminarum turbam, ſciſcitantem à me, cur ergo majora innuptis quam nuptis natura indulſerit privilegia? an non blaſphemum ſit aſſerere, Sacra in nuptiarum inauguratione extingui naturalem hanc analepticam ſponſæ virtutem? an non pariter inter caſtæ conjugis amplexus tam refici ſenes quam juvenes quotidie obſervemus? Adeſt illi JCtus advocati partes agens, qui pariter in dubium vocat, quid nomine puellarum in monumento Hermippeo intelligendum veniat, cum apud Jureconſultos & puellarum conſortio nuptæ adjungantur, uti ***Scævola*** JCtus in l. 41. §. 7. ff. de legat. 3. eam quoque puellam vocet, quæ jam tertio nuptura erat, & *Gellius* l. 12. Noct. Attic. c. 1. puerperam puellam nominet, quam cum *Phavorino* Philoſopho inviſum ierat. Quod nil Poëtis uſitatius ſit, quam conjugatas aut etiam uterum ferentes puellarum nomine cohoneſtare.

Parce precor gravidis facilis Lucina puellis,
Maturumque utero molliter aufer opus.

Digitized by Google

Ovidius l. 2. Faſtor, precatur. Anxium Zelotem idem monet l. 3. amor. Eleg. 4.

Dure vir impoſito teneræ cuſtode puellæ
Nil agis, ingenio quæque tuenda ſuo.

Rivalem, cui uxor curæ non erat l. 2. amor. Eleg. 19. blandius alloquitur.

Si tibi non opus eſt ſervata ſtulte puella,
At mihi fac ſerves.

Ex his probare contendit puellarum vocabulo etiam nuptas venire in ætate adhuc florida degentes, easque proin eadem vitali facultate, quam ita ſpecioſe puellis nubilibus & innuptis adſcripſi, pollere.

Hoc bene, & quidem idipſum eſt, quod hoc capite mihi ſumpſi probandum, ignotum namque mihi non eſt, etiam apud antiquos medicos per puellam non raro indicavi fæminam juvenculam maritatam, ut infra ex *Ficino* patebit, & apud Hebræos *Alma*, id eſt puella, ætatem magis ſignificare, quam integritatem, teſte *Eraſmo* in Schol. ad l. 1. *Hieronymi* contra *Jovinianum*. *Ariſtoteles* inter præcepta conſervandæ ſanitatis tradit: *Optimum eſſe amplecti ſpecioſam puellam*. Per quam pariter conjugem intelligit. Etſi ergo depontano atque effœto ſeni merito occinatur:

Quando ſenex bellæ nubit calidæque puellæ,
Res lepida eſt viſu, multo digniſſima riſu.

Permittit tamen ſana ratio, ut, ſi vitæ tantum conſervandæ ſpectetur intentio, juvenculam ſibi matrimonio jungat ſenecio viribus non plane ex-

hauſtus. Si enim vetulam ſibi copularet, ſenectus utique augeretur juxta notum axioma: *Omne tale additum tali illud magis reddit tale.* Quære à Regum Sapientiſſimo conſilium, ille Proverb. c. 5. hoc dabit: *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Cerva chariſſima & gratiſſimus hinnulus. Ubera ejus te inebrient in omni tempore. In amore ejus delectare jugiter.* O ſuavia verba amoris papavere & ſeſamo aſperſa! Conſule Eccleſiaſticum. Reſpondebit, ille c. 26. *Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum illius duplex.* Quanti verba ſolatii! Apage igitur *Sinibalde* cum audaci illo tuo Effato: l. 2. t. 3. c. 4. *Seneſcunt magis viri unico anno, qui cum uxoribus degunt, quam decimo, ſi ſoluti vivant & nuptialem thorum non cognoſcant.* Promittit illis Spiritus Sanctus ævum duplex. Quo poſito ſi marito eſſent quinquaginta anni, obtineatque mulierem bonam, his ſuplicatis Centenarius evadet. Quantam bonum bona fæmina!

Non vero hic duntaxat bonitas phyſica, à qua mariti longævitas dependet, ſed & moralis, quæ plurimum illi contribuit, intelligenda eſt. Qualis vero ſit mulier bona, lepide in ſuis carminibus expreſſit *Simonides* apud *Stobæum.*

Ex ape creatæ conjugis felix vir eſt,
Quæ ſola nulli crimini eſt obnoxia,
Vitamque longam & floridam facit viro,
Charoque etiam conſeneſcit conjugi.
Fæcunda pulchræ & ſplendidæ propaginis
Interque cunctas fæminas ſpectabilem

Decore circum gratia ambit undique
Divina. Segnes nec frequentat circulos,
Ubi de venereis fabulantur fœminæ.
Tales mulieres Jupiter longe optimas,
Et ſingulari præditas prudentia
Præbet benignus & favens mortalibus.

Talis uxoris anhelitum & exſpirationes marito ad longævitatem ſingulariter proficere, ſaltem moraliter, quis dubitaverit, ſed ſi ſit ex numero illarum, quæ ſeptem poſſident infamatas proprietates, nempe ut ſint ſanctæ in Eccleſia, angeli in acceſſu, Dæmones in domo, bubones in feneſtra, picæ in porta, capræ in horto, in lecto fætor. Quis in conſortio talis conjugis *Neſtor* evadat? Non crediderim hujus farinæ uxorem habuiſſe *Hermippum*, imò potius putem habuiſſe nullam.

Verùm hiſce miſſis converto me ad uxores bonas quarum cum ſexcenta proſtent exempla maritorum probantia longævitatem, unum ſaltem alterumve adducam, ex quo Sacri Textûs & mei poſtulati veritas roboretur. Memorabile eſt quod recenſet *Petrus Lotichius* vir de Medicina & ſui temporis Hiſtoria Meritiſſimus. Obſ. med. l. 4. Obſ. 3. quod hic repetere caſus raritas jubet. Erat vir octogenario major, qui priori conjugi defunctæ aliam juvenculam annorum viginti quinque ſuper inducebat, hic quidem amoris, illa verò pecuniæ & lucri cauſa nubens. Cum itaque per annum in conjugio vixiſſent, maritus periculoſo morbo afficitur de ejus reſtitutione deſperantibus pene omnibus. Tandem cum ex

eo

eo emerſurus videretur, non ſolum comam capitis ſed & barbæ decus caneſcentis per defluvium amittit, epidermide quoque totius corporis decidente, ſed quod admiratione non caret, novam comam barbamque, non tamen canam & albam ſed fulvi caloris ceu rejuveneſcens adipiſcitur: Color faciei cutisque reliquæ evadit floridus. Corpus ante è morboſo ſenio languidum tanto robore atque incremento confirmatur, ut vere è ſene, veriusque quam Æſacus, quem fabuloſa illa Medea recoxit, juvenis evaſiſſe, ſenectamque omnem depoſuiſſe non tantum videretur, ſed re ipſa exiſteret eventu veritatem comprobante. Convixit enim aliquot per annos uxori juvenculæ tanquam juvenis, & præterquam quod plures filios procreârit, tam libidinoſus fortisque extitit, ut *Achillem* æquaret, uxorique vix ferendus *Proteſilao* quod ajunt, ſe gratioſiorem exhiberet.

Raræ hujus rejuveneſcentiæ cauſam celeberrimus *Tackius* in Chryſogonia animali & minerali juxta Principia Chymica deducit ex febrili incendio ſal microcoſmicum quaſi calcinante, & per exuſtionem à ſcoriis depurante, ut vitæ Spiritus clarius puriusque exſplendeſceret. Hæc quidem ſatis eleganter juxta analogiam, non vero ætiologiam medicam. Statuerem potius flamma febrili ſolutum torporem & viſcoſitatem fluidorum, qualis in tam grandæva ætate eſſe ſolet (nam à febribus fatalem ſuccorum ſtaſin in apoplexia & tetano quandoque ſolvi teſtis eſt *Hippocrates*) reſeratos ſolidorum poros, reſtitutam diapnoën inſenſibilem, & motu in ſanguine reſtituto repa-

ratum quoque vitalem magnetiſmum, quo ex juvenili uxoris corpore ſpirituum vitalium reſtaurantium copiam attraxit, quorum uberiori calore, veluti poſt hyemem renovata arbor, refloruit. Seque virum atque patrem præſtitit.

Alterum exemplum nobis præbeat *Thomas Parr* Anglus, quem centum & triginta annos exceſſiſſe referunt annales. Bartholinus Cent. 5. Hiſtor. 28. Anno 1483. *Eduardo IV.* Regni Britannici ſceptra gerente natus vixit usque ad Annum 1635. Anno ætatis octogeſimo primam duxit Uxorem Joanneam, ejus anhelitu fata remoraturus, nec ſpe inani, triginta namque duobus annis cum eadem in matrimonio vixit duosque ſuſcepit filios. Hac defuncta in ſtatu viduitatis per decennium manſit ad annum vitæ centeſimum decimum quintum, ne tamen hoc longævitatis beneficio careret, cujusdam *Catharinæ Miltenæ* familiari in thoro conſortio uſus inſigni adhuc corporis robore ſe rurſus patrem fecit. Demum hujus pertæſus aliam in thalamum induxit ſenex Annorum 120. quacum Anno 1635. adhuc in viris ſuperſtes fuit. Si huic vivificas illas uxorum juvencularum perſpirationes & anhelitus dempſeris, nihil in ejus vita præter ſimplicem & craſſiorem victum repereris, cui tantæ longævitatis cauſam liceat adſcribere. Et ſane notatu dignum eſt, ejusmodi longævos ſenes plerumque plures conjuges juvenes in matrimonio habuiſſe quod pluribus poſſem docere exemplis. Inter quæ rariſſimum hoc in hac patria neutiquam obligioni tradendum eſt, quod Perill. D. de *Bevervörde* Dynaſta in Menſink Anno vitæ deci-

decimo, & centeſimo ſecundam uxorem duxerit, cum ea duas filias procrearit, & ad Annum vitæ centeſimum trigeſimum primum ſanus pervenerit, quod fide certa ab ejus pronepte mihi relatum eſt.

Sed fere fidem ſuperat, quod narrat *Petrus Maſſeus* Hiſtor. Ind. l. 11. Virum quendam *Cradezani* quatuor hominum ætates in optima valetudine vixiſſe, ter ſenuiſſe, tres uxores ſepeliviſſe, & tertio rediiſſe ad florentem ætatem, filiam nepotesque habuiſſe nonagenarios, ejusque regni octodecim Reges ſibi ſuccedentes vidiſſe. Ubi aſteriſcum meretur tres habuiſſe uxores, & pariter cum ſingulis, ſicque ter, juvenis inſtar refloruiſſe. Verum tales longævitatis genetrices fæminas non producit Germania, neque amplius hoc ſeculum, cum *Seneca* modo ævo, ut ipſe teſtatur Epiſt. 95. beneficium ſexus ſui vitiis perdiderint mulieres. Quam enim inter illas reperias, quæ ſenem à morbis, quos in aphoriſmis recenſet *Hippocrates*, ſpirandi nempe difficultate, deſtillationibus cum tuſſi, ſtranguria, articulorum doloribus, nephritide, vertigine, apoplexia, malo corporis habitu aliisque membrorum fere omnium ægritudinibus, anhelitu ſuo & univerſi corporis perſpirationibus poſſit præſervare, nedum curare? non meretur fidem, rancidas illas apud Circaſſios vetulas fœtida ſua eructatione ægrotos quoscunque ſanare potuiſſe, quin potius easdem mortem ipſam etiam juveni, multo magis ſeni aſpirâſſe perſuaſum nobis habemus.

Digitized by Google

Novi in Hollandia imo propriis vidi oculis plures, ita ſtolidos, ut imitarentur ornatum iſtum hominem quem deſcribit *D. Hieronymus* l. 1. *contra Jovinianum*, neque tamen obſervavi eſſe longæviores. Vir iſte in publicum exiturus uxoris faſcia pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ ejus præſentia carere poterat, potionemque nullam niſi uxoris tactam labris hauriebat, aliaque non minus inepta agebat, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. Epicriſin addit *D. Hieronymus* : *Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, quam ex honeſta cauſa quis inſaniat.* Sed valeant hi amantes & amentes Gynæcolatræ, & uxorios halitus ad quot optant annos inſpirent.

Datur tamen à Deo *profactis bonis viro mulier bona* (Eccleſ. 26.) quæ ut ſupradictum annos mariti duplicat. Hanc *qui invenerit, invenit bonum & haurit benedictionem à Domino.* Eſt enim gratia ſuper omnem gratiam, ut ait Eccleſiaſticus; inde & in Proverbiis Salomonis: mulier bona *Corona Viri* & ab Apoſtolo *Gloria Viri* appellatur.

CAPUT V.

Fæmina juvencula nutricis & una Medici partes agens marito ſeni ægrotanti ſanitatem & vigorem reſtituit.

PErmittent mihi hic digreſſionem longævitatis Candidati, ut in exemplo oſtendam, etiam præter anhelitum & perſpirationem dari quid

præ-

præſtantius in fæmina juvencula, quod maritum ſenem urgente neceſſitate ſanare imo reſtaurare valeat.

Mercator Sexagenarius, qui hactenus in cœlibatu vixerat puella formoſa juvene & vegeta in uxorem ducta altero à nuptiis anno, quo jam prolem ex voto ipſi pepererat, in febrem acutam continuam incidit. Ad quem quidem curandum ab uxore accerſitus, cum graviter & in iſta ætate ſat periculoſe laboraret, ab omni tamen tam potu & cibo, quam medicina penitus abhorrere comperio. Unde omiſſa remedii præſcriptione eundem curæ per exſpectationem ſatisque dubiæ ſpei relinquo, non omittens tamen alternis diebus inviſere, ubi indies eum melius habere, & ſanitati approximare animadverto non debilitatum, non emaciatum, ſed longe quam ànte febrem robuſtiorem floridioremque. Eventûs miri cauſa fugiebat omnem indaginem, donec lætabunda uxor non ſine gelaſino mihi referret, maritum toto morbi decurſu, atque non ſemel indies lac avide ex uberibus ſuis ſuxiſſe, in eoque ſolo non modo victum & potum, ſed & medicinam novumque robur & evexiam feliciter inveniſſe.

Occurrebat ſtatim memoriæ, quæ olim apud *Cornelium Agrippam* Tr. de nobilitate & præcellentia ſexus fæminei legeram hujuſce tenoris: *Natura mulieribus tanti vigoris lac contulit, quod non ſolum infantes nutriat, verum etiam & ægros reſtauret, & adultis quibusque ad vitæ incolumitatem ſufficiat: Quamobrem arbitror dixiſſe Salomonem, ubi non eſt mulier, ingemiſcit æger.*

 Lac

Lac muliebre potiſſimum ægris debilibus, etiam morti vicinis præſentaneum remedium eſt, quo ad vitam reſtituantur. Hinc ut ferunt medici calor earundem papillarum virorum nimio ſenio confectorum pectori applicatus calorem vitalem in illis excitat, adauget, & conſervat. Ita ille.

Laudabam bonum factum & gratulabar de recuperata ſanitate, non tamen ignorans, quantum medicorum principes in febribus abhorreant lactis uſum. Utut è contra *Marſilius Ficinus* arboris humanæ poſt decimum aut nonum novenarium plerumque areſcentis irrigationem cum lacte muliebri ſumme deprædicet. Ob elegantiam ipſa ejusdem verba ex libro de vita ſtudioſorum proroganda c. 11. huc tranſcribi merentur: *Sæpe poſt decimum ſtatim & nonnunquam nonum ſeptenarium arbor humana arefacto paulatim humore tabeſcit: Tunc primum humano juvenilique liquore irriganda eſt, quo revireſcat. Eligas ergo puellam ſanam, formoſam, hilarem, temperatam, & famelicus lac ejus ſugito creſcente luna, ſtatimque comedito marathri dulcis modicum pulverem ſaccharo rite confectum. Saccharum quidem lac in ventre cogi vel putrefieri non permittit, marathrum vero cum & ſubtile ſit, & lactis amicum, dilatabit ad membra.* Ita *Ficinus.*

Jubet puellæ ſanæ & formoſæ lac ſugere. Sed ubi terrarum talem lactantem reperias? jocatur Scriptor quidam, alias ſat ineptus: Si lac perfectum in ſana virgine reperiatur, id tantarum eſſe virium, ut unica tantum ejus gutta, plusquam omnes quintæ, ſextæ vel decimæ Chymi-

corum

corum eſſentiæ, atque adeo tantum valeat, ut qui illam duntaxat videat, non poſſit eſſe cœcus, imo multo etiam efficacior ſit, quam vel ipſum argentum & aurum potabile.

Sed faceſſant nugæ. Etſi vero etiam dari poſſit virgo illæſa pudicitia lactans, quod exemplis confirmat *Mangetus* in Biblioth. Med. Pr. l. 10. p. 15. & ſeqq. & *Bitterkraut* in Threnod. Med. c. 10. p. 309. *Ficinus* tamen per puellam intelligit fæminam juvenculam, ut jam ſupra monui, cujus nectar lacteum ſpiritu vitali turgidum immediate ex ipſo fonte calide hauſtum omni anhelitu & perſpirato effluvio gratius, utilius, & efficacius vitæ ſubſidium ſeni edentulo præſtat, quam ſi altera *Euphroſine* delicatiſſimos cibos præmaſticatos ejus ori ingerendo una cum ſucco ſalivali novum vitalis fermenti ſtomachici vigorem indere tentaret, quo melius appeteret & digereret.

Adnotata eſt à Medicis Hiſtoria adoleſcentis à Pulmonum tabe tantum non conſumpti & elumbis, qui diligenter hauſto ex juvenculæ nutricis mammis lacte ad eas vires brevi rediit, ut ea ingravidata de novo lactis poſt novem menſes proventu ſibi providerit poterat de illo dici:

Blanditias mammis tacit, arridetque papillis,
Et gaudet veterem ſe reperiſſe dapem.

Verum tale robur in ſeniculo nec metuendum nec exſpectandum, niſi Herculem octogenarium *Lotichianum* ſuperius deſcriptum æmuletur. Probabile tamen eſt lac muliebre à ſene non nimis decrepito ſat mature hauſtum poſſe impedire

præ-

præmaturum fibrarum rigorem, corrigere atoniam, & in ſolidis reſtaurare humidum vitale unctuoſum.

Guido Patinus magnus lactis aſinini Encomiaſtes Epiſt. tom. 2. 310. tria adducit exempla fæminarum quæ mediante ejus annuo circa ver & autumnum uſu, una quidem ad 84. altera ad 85. tertia ad 87. Annos vitam prærogarint, quarum tamen prior 60. Annis, poſterior ab Anno ætatis vigeſimo ſecundo lac quotannis biberint. Nolo hanc relationem in dubium vocare. Videtur tamen lac muliebre aſinino longe præſtantius utiliusque ſeni. Quia mulier aſina eſt longævior, lac ejus naturæ humanæ proximius, ſpiritu mumiali ditius, ex exquiſitiori alimentorum ſucco elaboratum, præ illa aſinæ, quod ex fœno, gramine, carduis conflatum eſt, nec non commodius, quod neceſſe non ſit fæminam inſtar aſinæ indies ſtrigili pectere. *Helmontio* namque teſte lac illius qualitate ſua minus laudabili guſtui ſtatim ſe prodit, niſi inſtar equi pexa fuerit. Et hæc per digreſſionem.

Redeo ad *Hermippum*, cujus longævitatis cauſas me puto ſufficienter ex fundamentis medicis explicaſſe, & exemplis parallelis illuſtraſſe, pro illa dignitate quam ceu Præfectus & Pædagogus in Orphanotrophio Romano ſeu Gymnaſio Virgineo à me conſtitutus promeruit. Fortaſſis vero nonnulli judicabunt, in aſſignato eidem viliori hoc munere me errâſſe, ünde nunc in ſublimiori vitæ ſtatione cui longævitas propria, ordinaria & conſueta eſt, eum conſtituam. Nam in eadem

Lul-

Digitized by Google

Lullium & *Flammellum* ultra centum & viginti, *Artephium* vero ad mille Annos vitam extendiſſe fama eſt, & fides penes eos, qui talia ſcriptis tradiderunt.

CAPUT VI.

Hermippus Adeptorum particeps Quintæ Eſſentiæ Philoſophicæ ſeu Arcani Hermetici beneficio vitæ centum & quindecim Annos, quinque dies facili negotio adeptus eſt.

ADeſte nunc vos *Gebri* lixæ, ſeu potius, ut vos ipſos honorifice appellatis, Hermetis filii, qui admirandum illum Sophorum lapidem ad ignem excoquere, & eo vitam ad Annos plusquam Pylios prorogare allaboratis. Indicabo nunc vobis Philoſophum hactenus ignotum, quem in ſapientum ordinem recipere, ut plures alios, qui in rerum natura nunquam extiterunt, non detrectabitis, quando à me univerſalis Medicinæ materiam primam ab adeptis adeo celatam, & à vobis tot annorum ſpacio fruſtra quæſitam, ex qua ſuam medicinam confecit *Hermippus*, non jam Orphanotrophii cujusdam Præſes & Didaſculus, ſed Magnus Philoſophus Macrobius, gratis addiſcetis, & ex hoc paradigmate conſpicietis, quam ingenioſum ſit etiam exfabulis arti antiquiſſimæ, quam veram eſſe haudquaquam dubitatis, quærere patrocinium.

Famigeratiſſimus olim in Gallia Philoſophus Hermeticus *Joannes Petrus Faber* Monſpelienſis in

Digitized by Google

in Palladio Spagirico gloriatur de *Arcano animali*, quod quis hoc utens non temporum variis injuriis laceſſatur, nec longinqua annorum ſerie caneſcat, neĉ laborum indeſinenti onere fatiſcat, nec ſtudiorum multitudine & vigiliarum copia mens obſtupeſcat, nec morborum ullorum inſultu frangatur, ſed invitis quibuscunque hoſtibus vitæ ſuæ ultimam à natura Deoque inſtitutam periodum & metam attingat. Tale arcanum fuiſſe, quo *Hermippus* ſibi ævum longiſſimum procuravit, nunc oſtendam. Licet enim puellarum halitus in tenuiſſima & volatili ſua cruditate ignotum hactenus vitæ prolongandæ arcanum fuerit, artificio tamen chymico concentratus, coagulatus atque excoctus pro longe ſublimiori Secreto, in quo Spiritus naturæ inviſibilis & ſubtiliſſimum vitæ fundamentum, ut Adepti loquuntur, erit habendus.

Quod igitur nunc referam, nemo fabulam ſed veriſſimam reputet hiſtoriam. Mecœnatis cujusdam recommendatio quondam mihi adhuc juveni in certam Magnatis domum familiarem ingreſſum, in eaque occaſionem cum sereniſſima quadam ſuper ſexum prudentiore artisque Hermeticæ ſtudioſiſſima fæmina (nam maritus quoque practice in illa deſudabat) de operis univerſalis materia prima ſive ut alii appellant, ſecunda, à Philoſophis tot griphis & ænigmatibus involuta confidenter, & quod dicunt, ſub roſa multoties confabulandi ſuppeditavit. Jactitabat illa ejusdem ſibi ab Adepto Italo Romæ revelatæ ſcientiam, ſicque ſummam in me in artis Hermeticæ rudimentis eo jamtum tempore non penitus hoſpite

ſpite illam reſciendi orexin excitabat. Aliquando cum ejus mihi revelandæ gratiam deprecarer more Philoſophorum in varias parabolas eruditam linguam ſolvebat, & deprædicabat ens primateriale Sophorum eſſe rem, ſine qua vivere nemo poſſit, omnibus notam, apud pauperes æque ac divites ubique & quidem gratis reperibilem, quam & ipſe Adamus ex Paradiſo ſecum tulerit, in quo juxta coſmopolitam occultus ſit vitæ cibus, aqua rarefacta, & aër coagulatus, ſileo alia, quæ ex Philoſophorum ſcriptis ſcite afferebat ænigmata apprime ad rem facientia, quibus ut majorem veritatis ſpeciem conciliaret, afferri jubebat ex ſecretiori reconditorio phiolam aqua limpidiſſima plenam, quam recluſam naſo ad olfaciendum ultro offerebat, indicans hoc verum eſſe artis ſubjectum, quod ex odore fracido, quem *Flammellus* cadaveroſum appellat, facile ſit colligere. Accendebat hoc majorem in me cupiditatem intelligendi rem ipſam, cujus ſuperius recenſita prædicata non ſemel quoque ipſe in *Sendivogii* aliorumque Philoſophorum libris legeram. Unde non deſiſtebam opportunitate data ejus revelationem continuis precibus rogare, interim de lixivio microcoſmi ſuſpicatus. Quâ tandem gratioſe impetrata cognovi Myſterium illud plus quam Eleuſynum eſſe Halitum humanum per peculiaria vitrea inſtrumenta tubarum inſtar conformata, quæ mihi monſtrari jubebat, mediante inhalatione collectum & in liquorem redactum, & quidem per puellas, quæ illi erant à cubiculis. Volunt namque Philoſophi materiam ſuam eſſe virgineam & ab illibatis virginibus

Digitized by Google

bus colligendam. En inquit eloquenter illa: Hæc aqua eſt, quam apud *Fr. Baſilium Valentinum* in Tractatu XII. clavium Emblemate ſeu clavi quinta Venus in cucurbita ſeu vaſe chymico ex halitu ſuo concentratam oſtendit, quam appellat ſpiritum viſibilem eductum ex materia impalpabili. Hæc, pergit, illa materia eſt, quam *Morienus* eremita Regi *Calid* poſt multas diſceptationes tandem revelavit. Hic enim cum interrogaret, *quo in loco vel in qua minera quærenda hæc res eſſet?* *Morienus* obticuit, & fronte demiſſa diu cogitando, quid Regi reſponderet, tandem erexit ſe & dixit: *Omnis, qui à Deo creatur, ſine ea perſiſtere non poteſt*, urſit Rex *Calid* explicationem. *Morienus* inquit: *Quid tibi multa referam, hæc enim res à te extrahitur, cujus etiam minera tu exiſtis, apud te namque illam inveniunt, & ut verius confitear, à te accipiunt, quod quum probaveris, amor ejus & dilectio in te augebitur.* Mirabar acumen fæminæ ita argute dicta Philoſophorum ad Halitum humanum applicantis, ut quis Jovem potuiſſet jurare lapidem eam rem ita ſe revera habere.

Etſi vero à me nunquam impetrare potuerim, ut huic ſententiæ ſubſcriberem, utut mihi non ſit ignotum quendam Philoſophum ex humano halitu elicuiſſe ſalem cryſtallinum, cujus etiam parandi modum prolixius deſcripſit *Bartholinus* de uſu Pulmon. Sect. p. m. 129. indulgebo tamen tantiſper more iſtorum antiſtarum, quia facile omnia credunt, Phantaſiæ, & dicam *L. Clodium Hermippum* fuiſſe Philoſophum adeptum, atque ex anhelitu puellarum ſupra dicto modo collecto &

con-

concentrato *Arcanum animale*, cujus uſu tot vitæ Annos attigit, confeciſſe & propterea ſe à Philoſophorum patre *Hermete*, ne degener eſſet filius, *Hermippum*, id eſt *Hermetis* vel etiam Mercurii (nam is Hermes dicitur) equum, & quidem *Clodium* non claudum appellaſſe, ut recte ſe ejus veſtigiis inſtitiſſe, & paſſibus æquis patrem inſecutum fuiſſe vel ipſo nomine atteſtaretur; *Lucium* vero à lumine ſeu luce philoſophica, ſine qua nil niſi tenebræ in mundo philoſophico palpantur.

Vos Alchymiſtæ nunc divinate, an griphum recte ſolverim, & vobiſcum ſerio perpendite, num hunc *Hermippum* in Philoſophorum tribum recipere velitis, & ex hoc monumento vobis ſociisque veſtris perſuadere, dari in halitu humano inprimis puellarum occultum vitæ cibum & veram medicinam, qua vita poſſit ultra centum Annos protelari. Credo jam vos ſtupere potentiam halitus virginei. Verum ſi experimentum eſtis facturi, videte ut virginem accipiatis, cujus mater quoque virgo eſt, & pater nunquam concubuit, ut puellam intemeratæ virginitatis remanente gloria gravidam, ut halitum cujus ſol pater & luna mater, nutrire terra, & quem Venus in utero portavit. Hæc enim materiæ Sophicæ prædicata jactitant veſtri Doctores Coadepti.

Et ſic transponunt, quod ſtultis pandere nolunt. Verum ſi nugis inhærere operæ pretium foret, ex Philoſophorum pariter dictis probari poſſet, non minus ex peditu quam ex halitu humano parari poſſe vitæ longæ remedium, ſicuti facetus pro-

didit nugator. Qui ani crepitus, cum Spiritus ſint, recipiente amplo, quali utuntur in conficiendo oleo vitrioli, podici arcte applicato, vult excipiendos magna Copia, dein condenſandos in oleoſam ſubſtantiam ſive balſamum, qui poſtea per circulationem in ſole perfici debeat, ut fiat quinta Eſſentia maximarum virtutum.

Verum apage nugas. Libertatem nunc relinquo Hermetis filiis, an in ſuum album *Hermippum* recipere velint, & in hoc ſtatu, an vero potius in laudata ſtatione & Pædagogi munere reputare longævum. Ego potius anhelitui puellarum crudo, quam Eſſentificato ſubſcriberem. Confirmavi vera hiſtoria fabulam, ut quantum ſit in rebus alchymicis, maxime autem artiſtarum phantaſia inane, diſpaleſcat.

CAPUT VII.

An ad exemplum *Hermippi* expediat, virum prudentem ejusmodi vitam halituoſam pro longævitate obtinenda ducere.

TAndem merito reſpondendum ad illud in monumento quaſi datum præceptum: *Jam poſteri ſic vitam ducite.* Ingens profecto puellis gloria eſſet, & altiori tumefactæ vertice criſtas erigerent, ſi poſſent anhelitu ſuo longævitatis eſſe diſpenſatrices; quamvis forte pauciſſimis ſub eo vita aut grata foret aut accommoda. Si cui daretur certitudo de vita ad Annum centeſimum producenda hac conditione, ut velit includi

Epi-

Digitized by Google

Epimenidis antro, ne à radiis ſolis vel intemperie aëris lædatur, an putas quempiam ita fore dementem, ut eam acceptaret? Si Anni Neſtorii cuipiam promitterentur, modo ceratum univerſo corpori inductum perpetuo vellet geſtare, ut illi veluti capſulæ incluſus contra quaſcunque elementorum injurias eſſet ſartus tectusque, nunquid ſtolidus foret, qui id ſibi pateretur perſuaderi? Si quis certus foret, nunquam ſe experturum in fibris naturalem ſenectutis ſiccitatem & rigiditatem, modo Balneis emollientibus perpetuo inhæreret, an prudentem æſtimaremus, qui ſatageret corpus hac ratione contra præmaturam ſenectam munire? Si quis igitur juxta *Hermippi* aut illius qui inſcriptionis faber eſt, monitum ſub continuo puellarum anhelitu aut illarum inter exſpirationes vitæ tempus vellet conſumere, ad ejus aliquamdiu prorogandum terminum, an eum non deſipere judicabimus?

Verulamius longe ſenſatior exiſtimat officia vitæ ipſa vita eſſe potiora, ideoque ſi quid ita ſit conſtitutum, ut vitæ munia & officia impediat, quantumcunque longævitati inſervire videantur, penitus rejiciendum eſſe. Qui igitur ſemper in Gynæceis hæreret puellares aucupans halitus, quomodo militiæ inſerviret, quomodo aulæ, curiæ, foro, aut Eccleſiæ? Non poteſt vir nobilis ex cædibus & cruore hoſtium exſpectare publica honorum inſignia, ſi gladii aut haſtæ loco cum formoſo ſexu perpetuo chartis ludat, parvoque moveat arma fritillo, amans magis fucatos puellarum halitus, quam pulveris pyrii Sulphuratos vapores. Non poteſt in aula ad nutum ſtare paratus Principi,

qui cum *Hermippo* mavult ad obſequium vivere puellis, & inter plures ſuum dividere halitum, ut omnium viciſſim recipiat. Non poteſt quis venalem habere linguam, & in foro elatrare clientum cauſas, præoccupare roſtra, obſervare prætoria, ſi nil niſi otia quærat inter puellarum aſpiramina, quæ tamen crumenam plerumque vacuam non implent. Non poteſt quis artem profiteri Machaoniam, & de domo in domum ægrotorum currere, quaſi ſanitatem habeat venalem, ſi potius gratos & ſalubres puellarum, quam fœtidos atque infeſtos amet clinicorum halitus & mephyticas exſpirationes. Sed quid ſtatuendum de clericis? è monachorum quidem clauſtris jam à primo religionis ævo excluſæ fuerunt puellæ, ſed nunquid illis permiſſum erit, more antiquo Agapetarum ſuarum dulces inſpirare anhelitus (cum & Apoſtolis licuerit ſecum ducere ſorores, & in oratorio habere Apoſtolicas Virgines) ut ſic cum cæteris quoque gaudeant longævitate, ſuorumque beneficiorum in ſeram usque ſenectutem amplis fructibus? Reſpondeat pro me *D. Hieronymus* tantum non excandeſcens Epiſt. 22. ad Euſtochium. *Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum, imo unde novum concubinarum genus? plus inferam: Unde meretrices univiræ, quæ eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur lectulo, & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimamus.* Ex horum itaque tectis, cubiculis, & lectis penitus excludit puellas, cum non ad carnales harum facies, ſed ad cœleſtia ſemper illis ſit anhelandum.

Non

Non itaque ad vinum nobilem, militem, aulicum, Advocatum, Medicum, Canonicum, imo non ad juvenem & robuſtum, imo ne quidem ad ſenem vegetum pertinet puellare fomentum Non debet lectori forte naſutiori in mentem venire, dum qualitates in puella pro ſenis conſervatione requiſitas ſpecioſius deſcripſi, me revera iſtius accubitum approbare, & veluti vitæ ſervandæ medium commendare. *D. Hieronymus* id ipſum vel in Rege Sanctiſſimo reprobavit, & ad nugas Attellanas retulit. Hauriant qui volent ſeneciones repueraſcentes anhelitus puellares, ſi per eos longius ſe ſpiraturos puerili perſuaſione credant. Ego cæteros vitæ longioris candidatos alloquor *Mars. Ficini* verbis de vit. cœl. comp. l. 3. c. 25. & Exercitationi huic facio Epilogum: *Si ejusmodi moribundæ vitæ curam non improbatis quidem, ſed negligendam monetis, ego quidem negligo melioris vitæ fiducia fretus, cæterisque ſimul conſulo faciendum: Valete.*

Digitized by Google

Luſus Satyricus.

In puellarum anhelitus, & (cui tamen honos præfandus) puerorum peditus longævitatis pararios.

Intonat.

Magni *Hermetis* Tabula Smaragdina,
Verum eſt & ſine mendacio veriſſimum,
Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius,
Et quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius
Ad perpetranda miracula rei unius.
Vos Hermetis filii una cum vitæ longæ Candidatis
Nunc novam ejus accipite Exegeſin.

Ἄνω καὶ κάτω.

Superius inferiusque microcoſmicum,
Anhelitus puellarum,
Puerorum crepitantes ani halitus,
effectu conſentiunt
Ad producendum non miraculum,
Sed rem quaſi miram
Magnis etiam artis Apollineæ ſtatoribus
nec inveſtigatam nec cognitam.
Nempe novum quaſi remedii genus
in duplici humani corporis vaſe
aſcendendo & deſcendendo
paratum.
Spiritum ſeu halitum volatilem,
Qui non duntaxat Sanos ſed & ſenes efficit.

Et

Digitized by Google

Et ex juvene quidem longævum ſenem,
Ex ſene autem refloreſcentem reddit juvenem.
Halitus ſuperi inferique,
Afflatus ex ore, efflatus ex ano,
Per ſuperiorem inferioremque gutturem
ut cum Plauto loquar, emiſſi
pari paſſu ambulant,
ad conciliandam longævitatem.
Inſenſibilis puellarum anhelitus
Silentio & ſuavitate ſe commendat ſenibus.
Senſibilis puerorum halitus
de crepitu & odore juvenibus,
Inprimis Scholarchis & ludimagiſtris familiaris.
Utrimque, ſi Diis placet, vitam prorogans.
Teſtis *L. Clodius Hermippus*
in Gymnaſio Virgineo Romæ Præſes & Pædagogus
Annos CXV. dies V. vitæ adeptus.
Teſtis *P. Caſpar Dragonetti* (*)
Didaſculus Romanus
In ſtadio Scholaſtico ultra LXX. Annos currens,
non minorem CXV. Annis ætatem conſecutus.
Quid mirum!
Ineſt illis ad huc nulla non vitalitas,
Principium vitale appellat ſtagyrita. (**)
Jamprimum enim venêre ex officina vitæ,
ex ſanguinis contubernio.
Ineſt utrique materia ſubtilis *Carteſii*,
Quæ circulum ſanguinis promovet.
Ineſt materia balſamica unctuoſa,
Quæ emollit ſolidorum fibras,

 Et

(*) Petrus de la valle in Itinerar.
(**) L. d. Generat. animal. 3.

Et à rigiditate & ſiccitate ſenili præſervat.
Quid igitur vos naſuti longævitatis Candidati,
Tabacoprophori
Veſtros implendo naſos
Pæti pulvere peſſimo,
Tantum à vobis arcetis beneficium
Quod longiorem lucis uſuram vobis promittit.
Si vobis putidi Vetulæ *Circaſſiæ* adhalatus
propinarentur,
Habetis, quod obæſos obturaretis naſos.
Delicata ſunt puellarum exſpiramina,
Tenera puerorum crepitacula,
ne nares claudite.
Sic non nauſeantes evadetis ſenes depontani,
Vobis ſenes adhuc robuſti
Puſillarum quidem etiam permittuntur anhelitus,
Sed ab accubitu arcentur nubiles,
Quarum ſæpe periculoſi ſunt anhelitus.
Habent magnetiſmum,
quo vitæ Spiritus potius attrahant quam reddant.
Habent non raro toxicum, quo inficiant,
Non raro fœtorem, quo inquinent.
Non ſervit nubilis Virgo ſeni viridi
pro nocturno fomento.
Apta eſt reſuſcitare ſopitas flammas,
quæ calorem nativum ſenis extinguant magis,
quam foveant.
Non ſemper arida pellit laſcivos ſtimulos canities.
Puſillarum probus eſt anhelitus,
ac cum his non minus
Ac cum earum pupis inſons luſus.
Habuerit Rex Septuagenarius in thalamo puellam.

Pul-

Digitized by Google

Pulchram nimis quæ caſta manſerit,
Nolite fidere huic ætati.
Adhuc in ſanguine gliſcunt ſcintillæ,
Facile erupturæ in incendium:
Turpe ſenilis amor Naſoni,
non cunctis ſenibus.
Quos etiam non raro ſagittis ſuis transfigit Cupido.
Vos verò egregii juvenes
Uxores ducite formoſas juvenculas,
Nam & apud has non raro obſervata eſt
Maritorum ſenum felix analepſis.
Bona mulier duplicat viri annos
æternæ veritatis effato.
Quidni, ſi talem duxeritis,
Annos centum attingere poteritis.
Sed paucos tali dignantur munere divi.
Verum vertamus folium.
Halituoſam *Hermippi* longævitatem ſi hiſtoriam credis,
Erras: Fabulam puta,
Sat ingenioſe, quia naturalibus nititur Principiis,
Ab aſtuto monumenti architecto effictam,
ut Antiquarios naſo adunco ſuſpenderet.
A parvulis puellis petere longævitatem
Eſt exigere gazam à paupere,
Cui nec obulus ſuppetit.
Nemo ex crudiori ætatis puellaris germine
Annoſos exſpectet maturæ ſenectutis fructus.
Ipſa illarum effluvia adhuc cruda & immatura ſunt,
Et ex ætatis progreſſu naturalem coctionem deſiderant.
Quis prudens puellas nuper adhuc balbutientes

Digitized by Google

Continuo, per diem in conſpectu, nedum ſinu,
per noctem geſtet in thoro?
Ut hauriat illarum exſpirationes & anhelitus?
Nunquid hæc laboris irriti imo ſtolidi eſt ſpecies?
Miſerrimus ſenex, qui puellari indiget fomento.
Cui potiorem præſtaret calorem
Lateri accubans, ventriculo potius incubans Mopſulus, quam puella condormiens,
ipſamet externis adhuc indigens fotibus.
Cujus imbecillem calorem potius extinguet ſenex frigidus, quam illo ſuum fovebit.
Et Quid?
An effœtas in corpore vires reſtaurabit?
An frontis rugas capitiſque tollet nives?
An manus tremulas, vacillantes pedes cœcutientes oculos?
Apage impuberum halitum,
Nubilium thorale conſortium,
Faceſſat hinc longævitatis halituoſæ figmentum.
Valeat *Hermippus*,
Quod forte longævitate ſit potitus,
Non puellarum anhelitibus,
Non Æſculapio & Hygieæ,
Diis fictis & patronis imaginariis,
Sed fato & Fortunæ ſalutari,
Cauſis plerumque eventuum occultis,
Sed manifeſtis paſſim ignorantiæ aſylis
Debuit.
Dixi.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

WIDENER LIB
HX IGF7 K
Digitized by Google

Digitized by Google